

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE MORE LIBROS DEDICANDI

APUD SCRIPTORES GRAECOS ET ROMANOS OBVIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM
ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS GRAEFENHAIN
HARBURGENSIS.

MARPURGI CATTORUM
MDCCCLXXXXII.

Typ.: Guilelmi Riemschneider, Hannoverae.

THEODORO BIRT

S.

A quo plura in litteris percepi,
tibi haec exigua reddo libamina
(Censorinus de die nat. praef.)

Propositum mihi est disserere qua lege quibusque sub formulis scriptores Graeci et Romani libros suos hominibus amicis fautoribusve dedicaverint. Qua in re tractanda viam ingredior, quam perpauci ante me inire ausi sunt. Nam quamquam apud eos, qui de historia litterarum Graecarum et Romanarum fusius scripserunt, non raro inveniri potest qui scriptores quibus hominibus dedicaverint volumina sua (ut e. g. in Teuffelii libro, qui inscribitur „Geschichte der röm. Literatur", accuratissime annotari solet), tamen desideratur omnium vel plurimorum dedicationis exemplorum collectio, quae nisi facta sit, quin de vi atque ratione dedicationum generaliter agi non possit, nemini dubium esse potest. Unus ante me, quantum scio, Haenny in dissertatione (Turicensi anni 1884), cui titulum inscripsit: „Schriftsteller und Buchhändler in Rom", rem ita tractare coepit in ultimo capite (p. 116 sqq.), sed nihil nisi initium est, cum homo ille doctus nulla alia exempla commemoret nisi notissima apud Ciceronem, Varronem, Plinium, Quintilianum, Phaedrum obvia, tum singulas res pro certo statuat argumentis non additis.[1])

Neque tamen infitiabor studiis eius me non pauca debere, cum aut ipsius suspiciones probare possem, aut ut

[1]) Etsi e. g. nostra via ac ratione eodem pervenimus atque ille, ut nomen eius, ad quem liber quidam scriptus sit, coniunctum esse cum titulo arbitremur, tamen libenter acciperemus ab Haennyo, quibus rationibus fulciret hanc sententiam, cum non liceret hanc conclusionem facere e codicibus, qui forte apud scriptores ab Haennyo commemoratos habent nomina eorum, quibus libri sunt inscripti, in titulo, cum traditio, quae dicitur, multorum aliorum librorum, quos meo quidem arbitrio esse dedicatos constat, hunc indicem dedicationis in titulo non praeberent. Deinde quo iure Haenny (p. 116, 31 sq.) dixerit prima exempla dedicationum apud Romanos inveniri in commercio litterarum Ciceronis dissertatio mea demonstrabit.

singulas res, quas paucis verbis attigit, fusius illo quasi viae duce tractarem, impellerer. Praeceptor denique illustrissimus Theodorus Birt duplici modo me adiuvit, qui cum in libro, cui titulum inscripsit „Das antike Buchwesen", haud raro verba facit de libris dedicatis ita, ut plerumque de ipsa dedicatione pauca addat (cf. p. 118, 349, 367, 410, 428), tum ipse benevolentissime viam mihi ostendit inquirendi in hanc quaestionem neque umquam consilium denegavit laboranti. Cuius opis gratiam referre velim, cum sperem fore ut opusculum meum ei videatur supplementum esse haud plane abiectum operis sui summa doctrina referti.

Ego equidem primum meum putavi quam plurima exempla librorum dedicatorum — scilicet attendas de librorum plenorum non de poematum singulorum[1]) in unum librum collectorum, ut apud Horatium, dedicatione esse quaestionem — colligere atque ea ab antiquissimis, quantum potui, temporibus

[1]) Quamquam vis eadem est libri atque carminis dedicati, tamen accuratissime distinguendum est inter librum plenum dedicatum et carmina singula, quibus liber componitur, quae quamvis haud raro et ipsa in honorem hominum scripta tamen ad alios mitti poterant atque liber ipse neque vero omnia unum atque eundem hominem appellarent necesse erat. Cuius rei illustrissimum exemplum praebent Statii Silvae, cuius operis singuli libri sunt dedicati, neque uniuscuiusque libri singula carmina non diversissimos homines appellant. Quae res eo explicari debet, atque ipse poeta ita explicat (praef. I... cum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem ...), quod poeta singulas eclogas singulis amicis sive fautoribus miserat sine editione, deinde vero parans editionem omnes in librum colligebat librum denique plenum ei mittebat, qui tunc ipsum ei erat familiarissimus. Accuratius de iis, qui libros atque librorum singula carmina a Statio acceperunt, egit Ruedigerus in diss. Marb. (1887), cui titulum inscripsit Quibuscum viris fuerit Statio poetae usus consuetudo familiaritas. Neque huius rei, quam tractavimus, solum exemplum est Statius, sed etiam Horatius et Vergilius (in eclogis nimirum) carmina per seriem temporis orta diversisque amicis missa, dum editionem instruunt, in unum librum congregant, neque aliter Theocritus in idylliis XI et XIII προσδιαλέγεται, ut ait hypothesis, quae vocatur, Niciae medico. Atque ut mittamus poetas, simillimum est quod Plinius epistulas ad plurimos familiares huc illuc datas per novem libros distributas dedicat uni Septitio petenti.

usque ad quartum et quintum post Chr. n. saecula indagare studui. Ultimis duobus saeculis non omnes, quos poteram, scriptores perquisivi, cum mihi persuaderem, id si facerem, fore ut materies cresceret in immensum, neque dubitarem, quin vis dedicationis plane cognosci posset exemplis priorum saeculorum accuratissime collectis. Atque eorum usque ad III. saeculum p. Chr. n. quot inveniri potuerunt via certa ac ratione, invenisse mihi videor, quibus nova additurum non puto nisi eum, qui fortuito apud scriptorem quendam commemorationem dedicationis cuiusdam invenerit. Itaque contendere nolo me omnes dedicationes a primo initio usque ad quintum saeculum continuo ordine praebere, sed persuasum habeo sat multas mihi praesto esse, ut omnes quaestiones, quae in contemplandis exemplis oriri possunt, plane solvantur, quod perficere malui quam numerum omnium antiquis temporibus factarum dedicationum statuere, qui num omnino pro certo constitui possit valde dubito.

Fontibus usus sum ipsis scriptoribus, quot nobis servati sunt. Quae exempla attuli auctorum non servatorum partim debeo commemorationibus in historiis litterarum Christii et Teuffelii factis, partim perquisitis collectionibus ut Keilii Gramm. Lat. *(G. L.)*, Muelleri Fragm. Hist. Graec. *(F. H. G.)* et Geograph. Graec. Min. *(G. G. M.)*

Pergratum mihi erat, quod nonnullorum scriptorum servatorum dedicationes non solum ex ipsorum scriptis, sed etiam ex commemoratione grammaticorum aliorumque scriptorum veterum cognoscere licuit, quare factum est, ut facilius diiudicari possit, utrum hac vel illa formula dedicationem exprimi arbitrari debeamus an non.

Fato benigno factum est, ut ex Ciceronis epistulis ad Atticum bibliopolam nobis servatis perspicere possimus, quomodo scriptor ille praeclarissimus instituerit dedicationem ad amicos. Quodsi longum abest, ut nulla re mutata omnia, quae hic invenimus, transferamus ad omnes omnium temporum scriptores, tamen demonstrari poterit consuetudinem in dedicandis libris non tam Ciceronis propriam quam omnium fuisse aut certe esse factam.

Scriptores Graecos et Latinos separatos tractari oportere mihi non visum est; immo iterum ac saepius ad demonstrandas res, quas volui, exemplis Graecis et Latinis pariter usus sum, praesertim cum longe maximus numerus dedicationum Graecarum sit eius aetatis, qua non iam ex Athenis vel ex Alexandria penderent litterae Graecae sed ex Roma. Certe Graeci et Romani si libros suos hominibus amicis fautoribusve dono dabant, idem spectabant, idem cogitabant, etsi mos libros dedicandi per se apud utrosque ortus est, ita ut nec Romani Graecos nec Graeci Romanos imitati libros donare coeperint, id quod sine dubio accidit. Quare minime dubium est, quin ex paribus quasi fundamentis ortus sit par usus in rebus ad dedicationem spectantibus, postquam Graeci et Romani inter se magis magisque confundi coepti sunt, quam ad rem perficiendam, si modo opus erat, multum attulerunt libri a Graecis Romanis dedicati.

I. De vi atque finibus dedicationis.

Dedicatio comparata cum dono.

Iam ut ad rem ipsam accedamus, primum explicandum est, quid veteres cogitaverint, si quibusdam libros suos dedicaverint, aut ut aliter rem exprimamus, quae sit notio, qui finis librorum dedicationis. Quam ad quaestionem solvendam certam viam nobis ostendunt haec verba saepius ad significandam dedicationem usurpata: dico, dedico (I. coniug.), consecro, voveo, spondeo, ἀνατίθημι[1]). Quae omnia verba attinent imprimis ad res sacras et significant: deo cuidam sive deae aliquid sacrare sive templum sive signum sive instrumentum (cf. Haennyi diss. p. 116_{18}).

Quae consecratio aliter intellegi non potest nisi donum, quo is, qui dat, deo gratias agere velit pro auxilio sibi lato, quo roget, ut deus propitius maneat, denique quo omnino dis caelestibus venerationem exprimat. Idem dici potest de libris dedicandis ad homines[2]): libri dono dantur, ut ostendant amorem et admirationem eius, qui dat, erga eum, qui

---

[1]) Apud quos scriptores haec verba legantur, infra invenies.

[2]) Nos iusto iure comparare librorum dedicationem cum dedicatione ad deos facta demonstratur loco Statiano (I 4, 31 sq.), unde quamquam de dedicatione non libri pleni, sed carminis singuli nondum editi sermo est, tamen sine dubio de vi dedicatorum librorum conclusionem facere licet. Accuratius denuo hunc locum tractavit Ruedigerus, quem supra citavi, p. 18. Habe verba Statii:

Quare age, si Cereri sua dona merumque Lyaeo
Reddimus, et dives praedae tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo captivaque tela (haec est vera dedicatio)
Belli potens nec tu . . .
Sperne coli tenuiore lyra . . .

Rectissime haec verba explicat Ruedigerus, cum dicat: „Totum carmen revera nihil aliud est, nisi sacrum, quod summo quasi deo Rutilio offert poeta".

accipit, ut gratiam referant, ut praesidium et favorem alicuius comparent auctori. Qui tali in dedicatione perficienda plane idem agit atque artifex, qui manu factum artificium donat deo; nam fieri potest, ut ipse artifex donum offerat deo, etsi plerumque iussus ab alio fingit, quae hic deo dedicet. Itaque scriptor et artifex donum, quo nullum potest cogitari pretiosius, dant. Quod obversabatur animis, exprimunt alter caelo vel penicillo alter calamo. Sane praeclarissimum munus, quo is, qui quasi effigiem mentis auctoris accipit, iusto iure glorietur. Magis etiam proprie comparari potest hymnorum scriptor; hymnus sive poetae sive civitatis nomine deo dicatur, liber dicatur homini.

Quomodo cum explicemus dedicationem, scilicet quasi donum fuerit, fontium ope haud destituimur, cum dicat Manetho (III. scl. a. Chr. n.) de dedicatione operis sui ad Ptolemaeum facta ita, quasi si donum det ei: *δῶρα φέρω* (*ἀποτελεσμ.* I, 3).

Plutarchus alloquitur Nigrinum et Quintum his verbis (*περὶ φιλαδελφίας* c. 1 ed. Dübner vol. I. p. 579.): *τὸ σύγγραμμα τοῦτο ἀνατίθημι . . . ὑμῖν . . . δῶρον*, qua in re praeter vocem *δῶρον* memorabile est et quod usurpatur verbum *ἀνατιθέναι* et quod unus liber inscriptus est duobus hominibus (qua de re infra fusius agemus). Neque minus Pseudo-Lucianus Quintilium quendam appellans in libro, qui inscribitur *μακρόβιοι*, utitur verbis c. 1: *προσφέρω σοι δῶρον.*

Quin etiam compluries invenimus libros die natali donatos atque eos Dionysii Halicarnassei, Luciani (*Ps.*), Phrynichi, Censorini, qui ipsi pro nobis testentur. Dionysius librum de compositione verborum mittit Rufo Melitio Romano his verbis usus c. 1: *δῶρόν τοι καὶ ἐγώ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι . . . πρώτην ἡμέραν ἄγοντι ταύτην γενέθλιον* eqs. *Μακρόβιοι*, qui falso ascribuntur Luciano, die natali missi sunt ad Quintilium, id quod demonstratur verbis c. 2: *ταύτην οὖν αἰσιωτάτην νομίζων τήν γε τῶν σῶν γενεθλίων ἡμέραν δίδωμί σοι.* Phrynichum denique librum natalicii sub titulo obtulisse Aristocli cuidam tradit Photius (cod. 158) hunc in modum: *παιδιάν τινα τῇ γενεθλίῳ ἡμέρᾳ τοῦ Ἀριστοκλέους ἁρμόττουσαν φιλοτιμούμενος γενέσθαι τὴν γραφήν.*

Opportune accidit, ut quartus, qui natalicium fautori dat librum, sit Romanus: Censorinus, homo pauper, die natali adit Q. Caerellium, divitem patronum, secum portans donum libellum exilem de die natali, qui his verbis incipitur c. 1, 5: *quare cum dona pretiosa neque tibi . . . desint neque mihi per rei tenuitatem supersint, quodcumque hoc libri est meis opibus comparatum, natalicii titulo tibi misi.*

Libros arbitrio veterum etiam Saturnalibus donorum loco dari posse, etsi exemplum huius rei nobis non praesto est, ex Luciani loco (*Cronosolon 16*) efficitur (cf. Birtii Buchwesen p. 79 sqq.), ubi cum det praecepta ad Saturnalia celebranda, haec iubet: *ἀντιπεμπέτω δὲ ὁ πένης τῷ πλουσίῳ ὁ μὲν πεπαιδευμένος βιβλίον τῶν παλαιῶν . . . ἢ αὑτοῦ σύγγραμμα ὁποῖον ἂν δύνηται.*

Tractantes Censorinum iam ad Romanos delapsi eramus, quos si vocamus in conspectum, invenimus compluribus, non unius Censorini, exemplis demonstrari et ipsos cum dedicatione coniunxisse notionem doni. Alias Catullus dicere non potuit primo carmine v. 1: *cui dono . . . libellum?* Graeco vocabulo *δῶρον* respondet Latinum munus, quod occurrit e. g. apud Ciceronem ad fam. IX, 8 *remunerari munere* et de off. III, 121 *habes a patre munus.* Neque Constantinus imperator, cum litteris Optatiano Porfyrio gratias agat, librum dedicatum non significat munus (*gratum mihi dicationis tuae munus fuit*, ed. L. Mueller p. 4). Lygdamus poeta carmina in honorem Neaerae condita appellat I_{24} *munera parva.* Denique apud Cornificium I_{27} legimus: *munus hoc largiamur voluntati tuae.* Quae accuratius respondet Graecae voci *δῶρον* Latina vox *donum* occurrit in *Ciris* Ps.-Vergilianae versu 46:

Accipe dona meo multum vigilata labore.

Diversissimis, ut iam haec missa faciamus, causis scriptor adduci potuit, ut homini alicui librum dono mitteret. Quarum praestantissima est, si scriptor, cum sit sine ambitione, homini cuidam venerationem amoremque ostendere vult nuncupatione, quo consilio e. g. Varro ducebatur, cum scriberet tertium librum rerum rusticarum ad Pinnium; cf. III, 19:

ad te mitto, quod visus sum debere pro nostra vicinitate et amore scribere potissimum ad te.

Ciceronem, ut Attico, quanti eum aestimet, ostentet, Laelium misisse his verbis efficitur § 5: *hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia.*

Appii Claudii Pulchri liber auguralis Ciceroni inscriptus originem duxit eadem ex causa; *cf. Cic. ad fam. III, 41: illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum suavissimum misisti.*

Nero imperator, cum aliquando nomen subscripturus sententiae, qua reus quidam mortis damnabatur, se litteras nescire velle exclamasset, excitavit admirationem Senecae, quam ut exprimeret, duos libros de clementia ad imperatorem conscripsit; cf. II_1 *ut de clementia scriberem, Nero Caesar, una me vox tua maxime compulit.*

Iam num Graecorum scriptorum eiusdem rei exempla exstent inspiciamus. Nec desunt. Apud Simplicium, qui commentarios scripsit ad philosophorum scripta, nonnulla verba epistulae, quam Arrianus praemisit libro suo *Ἐπικτήτου ἐγχειρίδιον* Messalino, Romano cuidam, dedicato conservata sunt hoc loco commemoranda: *ᾧ καὶ τὸ σύνταγμα προσεφώνησεν ὡς ἑαυτῷ μὲν φιλτάτῳ.* Haud dissimilia sunt Luciani verba (Alexander vel *ψευδομάντις* 61): *ταῦτα, ὦ φιλότης, γράψαι ἠξίωσα καὶ σοὶ μὲν χαριζόμενος ἀνδρὶ ἑταίρῳ καὶ φίλῳ.* Extremum locum teneat Hesychius, praef.: *ὦ πάντων ἐμοὶ προσφιλέστατε Εὐλόγιε . . . τὴν πραγματείαν ἀπέστειλα πρὸς τὴν σὴν φιλίαν.*

Haec habui quae dicerem de ea dedicatione, quae nihil aliud spectat, nisi ut amorem et caritatem confirmet erga eos, qui donantur scriptis. Quamquam numerus exemplorum, quae hunc finem aperte prae se ferunt, non ita magnus est, tamen opinor non pauca ex reliquorum magno numero, quamvis non expresse dicatur, eodem consilio esse facta.

Sed ut pergamus inquirere quibus de causis dedicatio facta sit, homines beneficiis obstricti, aliorum opibus adiuti, dona adepti facere non possunt, quin gratiam referant. Qua in re rursus scriptor sua ipsius munera offerre potest:

quae novissima litteris mandavit, fautori benevolo mittit; dedicatione remuneratur eum, qui sibi munera aliqua dedit.

Vitruvius e. g. in praefatione primi libri se *beneficio obligatum* imperatori librum donare docet. Iam supra Censorinum grato animo gratulantem die natali cognovimus (cf. c. 1 *ita ego, a quo plura in litteris percepi, tibi haec exigua reddo libamina.)* Cicero (ad fam. IX, 8) ad Varronem scribit de dedicandis Academicis: in animo se habuisse non prius ei librum mittere, quam ipse ab eo acceperit, scilicet *ut possem te remunerari quam simillimo munere.* Quamquam aliter res evenit ita, ut Cicero prior Academica mitteret, quibus acceptis Varro, cum iam suum esset amicum remunerari, libros de lingua Latina inde a quinto dedit Ciceroni.

Poetae fautoribus gratiam referunt carminibus oblatis, cuius rei exemplum sit Vergilius, qui Maecenati dicat Georgica sive, id quod legimus apud Donatum in vita Vergilii 20: *edidit in honorem Maecenatis.* Nam et verbis Donati et allocutione Maecenatis apud Vergilium (I, 2. IV, 2 sqq.) dedicationem significari persuasum habeo, neque aliter sentit Teuffelius (Gesch. d. röm. Lit. 227 p. 489), cum dicat: *„das Lehrgedicht wurde durch Maecenas veranlasst, und ist ihm gewidmet“.* Item ceteros poetas, quos Maecenates, Messalae, alii circum se colligebant, imprimis fautoribus carmina devovisse putabimus. E. g. quae Vergilio asscribitur Ciris, orta inter poetas, quibuscum Messalae erat usus et consuetudo, dedicata est filio Messalae (cf. Teuffelii Gesch. d. röm. Lit. 230, 2. $_1$), Culex Octavio (cf. v. 1. 8.).

His quae enumeravi exemplis id agi, ut gratia referatur pro donis acceptis, primo quasi obtutu cognosci potest; Graecorum scriptorum, qui idem spectent, praesto mihi est unus Apollodorus Damascenus, cuius ex verbis elucere mihi videtur eum, quem appellat *δέσποτα*, remunerari velle; cf. *πολιορκητικά* c. 1: *ἀνέγνων σου, δέσποτα, τὴν περὶ τῶν μηχανημάτων ἐπιστολὴν καὶ μακάριος ἐγενόμην ὅτι με κοινωνῆσαι ταύτης σου τῆς φροντίδος ἄξιον ἔκρινας . . ποιήσας οὖν . . . ἔπεμψα.* Neque

tamen saepius eos quoque hoc consilium secutos esse veri dissimile est.

Dedicatio instructionis causa facta.

Multo plures libri dedicati sunt ad edocendum vel instruendum eum, qui accipit, de aliqua re et eiusdem voluntati vel desiderio satisfaciunt. Responsa dantur libris donatis ad quaestiones spectantes ad philosophiam, ad antiquitatem, ad artem medicinae, grammaticam, oratoriam, tacticam etc.

Inter Graecos scriptores scientiam medicorum e. g. tractat Nicander metro inclusam, cum Hermesianactem, Protagoram nescio quos instruat de sanandis morsibus ferarum, de antidotis. Andromachus Neroni versibus heroicis remedia contra serpentium venena valentia exponit. Denique Galenus praeter ceteros excellens peritia et industria in usum amicorum totam artis medicinae doctrinam illustravit. Atque praecipue eum nihil fere scripsisse nisi petitum a discipulis et amicis notandum est, quae res his locis, qui pauci ex magno numero pro omnibus loquantur, demonstratur: *βουληθέντι σοι παρ' ἐμοῦ δοθῆναι μνήμης ἕνεκεν* (*περὶ φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν ἀνατομῆς* ed. Kühn II, p. 779_2), *ἐπειδὴ κελεύεις, διήξω σοι πάντα* (*περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθημάτων* ed. Kühn V. p. 3_{11}), *ἐβιάσω τε καὶ κατηνάγκασας . . γράψασθαι τοὺς λόγους* (ed. Kühn V. p. 809), *εἴκω τῇ βίᾳ καὶ πείθομαι* (ed. Kühn XI 359_{11}).

Ut ad artem rhetoricam transeamus, *τέχναι* vel artes Apollodori Pergameni et Dionysii Halicarnassei, Ps.-Longini *περὶ ὕψους*, Luciani *ῥητόρων διδάσκαλος* (c. 1. *ἐρωτᾷς, ὦ μειράκιον*) potissimum ad unum, qui accepit librum, edocendum composita sunt.

Alii certiores fieri voluerant de rebus tacticis fiuntque Polyaeni, Apollodori Damasceni, Bitonis opera. Apud Polyaenum e. g. legimus I prooem.: *τῆς στρατηγικῆς ἐπιστήμης ἐφόδια ταυτὶ προσφέρω*, atque huius loci memoria in mentem nobis venit, cum legamus apud Apollodorum praef.: *ταῦτά σοι ἐφωδίασα, δέσποτα*, . . . Apud eundem extant haec:

ὑποδείγματα πρὸς πολιορκίας εὔχρηστα ἔπεμψα. Ne denique desint Bitonis verba: ὅσα μὲν μάλιστα ἐνομίζομέν σοι ἁρμόζειν ἀνεγράψαμεν.

Ad philosophiam spectant, quae scribit Annaeus Cornutus ad filium de natura deorum.

Artemidorus somniorum interpretationi studet in libris, qui inscribuntur ὀνειροκριτικά, in usum Cassii Maximi cuiusdam et ipsius filii compositis.

De historia recte conscribenda Lucianus Philoni cuidam commentationem mittit (c. 63: οὗτός σοι κανὼν καὶ σταθμὴ ἱστορίας δικαίας).

Lycophron in carmine inscripto „Alexandra" v. 1 νητρεκεῶς se narraturum inquit, quae interrogaverit (v. 1: ἅ μ' ἱστορεῖς) Ptolemaeus Philadelphus; ad eum enim videtur scripsisse.

Historiam naturalem in conspectum vocat Oppianus, cum conscribat Halieutica, poema didacticum ad imperatores M. Aurelium Commodumque. Imperatori etiam Iulii Pollucis librorum decem ὀνομαστικόν dicatum est, ut ipse dicit in epistula primo libro praefixa: πρὸς εὐγλωττίαν συμβαλοῦμαι . . .

Simile opus Phrynichus (ἐκλογὴν ῥημάτων καὶ ὀνομάτων Ἀττικῶν) composuit iussus a Corneliano quodam (praef. κελεύσαντός σου . .).

Neque minor est numerus librorum a Romanis scriptoribus instructionis causa ad homines quosdam missorum, neque minus saepe Romani voluntati amicorum morem gerebant.

Primum statim exemplum in litterarum Romanarum historia obvium huc pertinet, dico scripta Catonis, quae magna ex parte composita in usum filii comprehenduntur nomine „praecepta ad filium" (Non. $143_{,7}$), quibus contineri verisimile est quaestiones ad artem oratoriam, militarem, medicam, ad agriculturam spectantes.

Omnium scriptorum Romanorum maxime ab amicis discendi cupidis vexabatur Cicero. Interrogantes occurrunt Quintus frater ipsius et Brutus; huius voluntati satisfacit condito libro, qui inscribitur orator (c. 1: *tibi roganti* . .); praeterea *ipsius precibus paene adductus* scripsit

ad Brutum „de optimo genere dicendi“ (cf. ad Att. XIV, 20_8); item Quinti desiderio respondet liber de oratore. Atque non solum quaestiones rhetoricas, sed etiam ad philosophiam pertinentes tractare impulsus est, e. g. iubente C. Trebatio Aristotelis topica in Latinum vertit (cf. Top. c. 1.).

Cornificius ipse pro se loquatur $I_{,1}$: *tua nos, C. Herenni, voluntas commovit, ut de ratione dicendi scriberemus*; I, 27: *tuae largiamur voluntati.* His artis rhetoricae locis dilucide efficitur scriptorem desiderio Herennii obsequi.

Varro quoque pro magna sua scientia ab amicis non raro adibatur precibus. Ipsius ad uxorem Fundaniam primum rerum rusticarum librum *propter eius fundum* (r. r. II, 6) facit. Eiusdem operis secundo libro cum alloquatur Turranium Nigrum ut hominem, qui vehementer delectetur pecore, agit de re pecuaria, de pecore quaestuose emendo vendendo etc. Pompeio imprimis Varro utilissimum se praebuit amicum, cum compluriens ei praecepta daret: *consul designatus rerum urbanarum expers* Pompeius Varronem adiit, *uti commentarium faceret „isagogicum“, ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret* (cf. Gell. XIV, 7, 2). Eundem, cum in Hispaniam cum exercitu profecturus esset, denuo Varro adiuvit (cf. itin. Al. Magni c. 6): *Varro Cn. Pompeio olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos sub nomine elaboravit, ut inhabiles res eidem gesturo scire esset.*

Quod exemplum Itinerarii Alexandri Magni scriptor imitatur in usum Constantini imperatoris.

Columellam, cum duodecim libros scriberet de rebus rusticis, praecipue ad unum P. Silvium edocendum id egisse putabimus, quamvis neque eum finem illum spectasse neque rogatum scribere ex ipsius verbis discamus.

Partem historiae artis oratoriae exponit L. Fabio Iusto Tacitus in dialogo de oratoribus.

Macrinus quidam *omnia scire* vult, homini illi discendi cupido auxilium fert libro memoriali Ampelius.

Distributionem assis explicat Volusius Maecianus

M. Aurelio discipulo, iuveni regio, qui moleste tulit hanc rem plane a se ignorari.

Quis Aquilae Romano imperaverit opus de figuris sententiarum atque acceperit nescimus.

Terentianus, Plotius Sacerdos, Atilius Fortunatianus cum amicis communicant doctrinam metrorum.

Scriptores denique historiae Augustae plerumque imperatoribus, qui res a superioribus Caesaribus gestas uno conspectu cognoscere volunt, studiorum fructus offerunt.

In numero librorum institutionis causa dedicatorum turba occurrit librorum a patribus ad filios scriptorum, quos hac ipsa de causa huc pertinere putabimus, etiamsi non accuratius inspexerimus. Nam vix credibile aliud agere patrem filio librum nuncupantem, nisi ut eum edoceat, cum alia ex parte, si invenerimus opus a filio patri consecratum, statim ad reverentiam significandam et in honorem genitoris esse factam dedicationem existimemus (cf. Germanici in Arateis verba v. 3 *Te veneror, tibi sacra fero)*.

Horum quoque scriptorum (scil. qui ad filios scripserunt) plerique quaestionibus responderunt. Ut exempla nonnulla proferamus, Graeci Artemidorus, Plutarchus, Romanus, qui Graeca utitur lingua, Annaeus Cornutus commemorentur. Artemidorus libros *ὀνειροκριτικῶν* inde a quarto filio scribit; cf. IV prooem.: *ὑπέρ τε ἐμαυτοῦ καὶ σοῦ ὡρμήθην ἐπὶ τὴν συγγραφὴν τοῦδε τοῦ βιβλίου, ὅπως ἂν ἔχῃς κτλ.*

Autobulum et Plutarchum filios *περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας* certiores facit Plutarchus, neque minus ad philosophiam spectat Annaei Cornuti libellus *περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως*. Qui nos traducit ad Romanos. Statim antiquissimum exemplum dedicationis apud Romanos factae hic iustum locum tenet, Catonis praecepta ad filium, quae feruntur. Livium epistula ad filium data de excolendo oratore disseruisse traditum est (cf. Quintil. XI, 39). In usum complurium filiorum elaboraverunt Seneca X libros controversiarum oboediens Novato, Melae, Senecae, Asconius Pedianus orationum Ciceronis quinque enarrationem, qui ut nomina natorum silentio praeterit, ita

complures eos esse et institutionis consilium se sequi ostendit allocutione *vos* et verbis *intellegitis*, *ne erretis*, *quaeratis*, (cf. ed. Kiessling-Schöll p. 2_5, 8_{17}, 10_{10}, 10_{27}, 11_8, 13_{10} etc.) Bis Apuleius doctrinam suam communicat cum Faustino filio, libris de mundo et de dogmate Platonis.

Si perseveramus in perlustrandis exemplis dedicationis, ultima in enumerando et tempore occurrit turba scriptorum, qui omnes vires consumebant in hominibus erudiendis et edocendis, dico scriptores Christianos. Nulli saepius quaestionibus et precibus adibantur, nulli promptiores erant et esse debebant ad obsequendum rogantibus quam episcopi ecclesiae Christianae, cum essent aptissimi ad quaestiones de fide et doctrina solvendas. Episcoporum erat eos, qui Christum venerabantur, accuratissime certiores facere de salute a filio dei peccatoribus parata, fidemque eorum firmare, ut quasi armis mentis instructi refellere possent paganorum impetus. Prima eiusmodi scripta dedicationis nota distincta elaboravit Lucas et Evangelium, quod vocatur, et Acta apostolorum (cf. Luc. 1_3, *ἔδοξε κἀμοὶ σοὶ γράψαι, ὦ θεόφιλε, ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν.* Acta 1_1, *Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ὦ θεόφιλε*).

Tempore proximus ei est Tertullianus, cuius nobis servantur praecepta ad uxorem, quibus quid faciendum uxori sit se mortuo exponit. Fratrem „in Christo“ adhortatur ad castitatem. Quaestioni respondet libellus de fuga in persecutione, ut cognoscimus ex verbis primi capitis *quaesisti proxime, Fabi frater* eqs.

Ut Romanos absolvamus scriptores, sequatur Cyprianus, qui in commentatione ad Quirinum utitur his verbis I. prf.: *Obtemperandum fuit, fili carissime, desiderio tuo*, vel ad Fortunatum prf. 1. *Desiderasti.* Apud Lactantium legitur de ira dei c. 22: *haec habui quae dicerem de ira dei, Donate carissime, ut scires, quemadmodum refelleres eos* eqs.

Omnium autem hac in re uberrimus fuit Augustinus. Inter innumerabilia paene scripta nulla fere non rogatus per-

fecit. E. g. Dulcitius quidam octo uno tempore quaestiones misit, quibus respondet *sicut potuit inquisitionibus* (in fine libri „de octo Dulcitii quaestionibus"). Praecepta dantur de catechizandis rudibus, de bono viduitatis, de opere monachorum etc., quorum nulla non ad unum praecipue lectorem se convertunt. Etiam, quod mirum videri potest, scripta bellatoria contra inimicos, qui existebant in ipsa ecclesia, ad unum potissimum scripta sunt, e. g. ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas et de unico baptismo contra Petilianum ad Constantinum.

Simillimam rem apud Graecos eiusdem generis scriptores invenimus, quorum Origenes refutans opprobria Celsi iamdudum mortui in libris *κατὰ Κέλσου* alloquitur Ambrosium quendam (cf. Migne patrol. Gr. XI p. 644). Qua de re nos eo magis admiratione afficimur, quod nostris temporibus, qui in rebus ad rem publicam vel ad litteras spectantibus aliquibus adversari volunt, aptissimum putant ea, quae sentiunt, mandare actis diurnis vel libellis, quae omnium in manibus versatura sciant, cum Origenes refutationem opprobriorum pagani vel paganorum potissimum ad unum scribat, quamquam eum, quae accepit a doctissimo illo episcopo, mox communicasse cum Christianis eiusdem civitatis putandum est. Sed consentaneum est imprimis caveri debuisse, ne tales paganorum impetus perniciosi essent ipsis Christianis, quibus, ut animum deficerent, impelli poterant.[1]) Itaque Origenes Ambrosium libris illis dedicatis instruxit quasi armis, quibus ex sententia sua obsisteret his hostibus.

Aliquantum autem interest inter haec scripta Augustini Origenisque et inter apologias, quae proprie dicuntur, religionis Christianae. Vera apologia non inter Christianos

---

[1]) Expressis verbis Origenes ipse significat ad quos potissimum scripserit, cf. *κ. Κ.* Migne, patrol. Gr. p. 649. 318 *A*: *τοῦτο δὲ τὸ προοίμιον . . . ἔδοξεν ἡμῖν προτάξαι τῆς ἀρχῆς ἵν' αὐτῷ προεντυγχάνῃ ὁ ἀναγνωσόμενος . . . καὶ ἴδῃ ὅτι οὐ πάνυ πιστοῖς γέγραπται τὸ βιβλίον τοῦτο . . . ἀλλ' ἢ τέλεον ἀγεύστοις τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, ἢ τοῖς . . . ἀσθενοῦσιν ἐν τῇ πίστει.*

iustum locum tenet, in castra hostium paganorum iter facere et quam maxime divulgari debet. Libellum, qui id consilium spectat, uni homini esse dedicatum mihi persuadere non possum, quamquam primo obtutu id factum esse nonnullis exemplis demonstrari videtur.

Servatae enim sunt nobis apologiae duae Iustini Martyris una Tertulliani, quas dedicationis speciem prae se ferre putare possimus. Tituli sunt: Iustini *ἀπολογία πρώτη ὑπὲρ Χριστιανῶν πρὸς Ἀντωνῖνον τὸν Εὐσεβῆ* et *ἀπ. ὑπὲρ Χρ. πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων σύγκλητον*, Tertulliani Apologeticum ad Romani imperii antistites. Credat quispiam apologiam ad imperatorem Antoninum esse habendam pro dedicata Antonino, cum librorum dedicatorum eiusmodi tituli legantur, e. g. Gell. XV, 7_3 *de lingua latina ad Ciceronem*, Athen. IV p. 144 E *Θεόφραστος δ' ἐν τῷ πρὸς Κάσσανδρον περὶ βασιλείας*.

Sed praeter ea, quae supra in universum disserui quos ad lectores apologiae directae esse debeant, duarum aliarum apologiarum tituli huic sententiae obstant, quas „senatui Romano", „antistitibus populi Romani" dono datas neminem esse, qui putet, arbitror. Quid vero est apologia, ut animum intendamus ad ipsius notionem, nisi oratio, qua aliquis se defendit apud iudices? Christianis cum occasio non daretur ipsis contra accusatores rem agere, quid faciendum erat, si refellere volebant ea, quae falso in se incusarentur? Per litteras causa dicenda apud senatum Romanum, apud imperii antistites. Neque alio modo explicari potest allocutio in titulo Iustini ad imperatorem Antoninum Pium facta, praesertim cum lingua eadem duo verba *ἀπολογία πρός* alias alia significatione usurpari vix credibile sit. Defensor religionis Christianae alloquitur imperatorem, ut summum iudicem, paganorum primum. Atque verisimillimum est huic a scriptore exemplum libelli esse missum.

At Augustinum supra vidimus libros bellatorios inscripsisse amicis. Sed tum proelium committebatur cum haereticis, qui inrepserunt in ipsum Christianorum numerum, atque eodem modo ille, quo Origenes, libro dedicato eum, qui accipit, aptum reddere vult, qui auxilium sibi ferat in

opprimendis intestinis hostibus. Fortasse credi potest eum, ad quem liber mittebatur, ipsum doctrina adulterina labefactatum valido subsidio eguisse.

Quoniam quaestio est de dedicatione librorum bellatoriorum, ne silentio praetermittamus Flavium Iosephum defendentem Iudaeos ab Apionis accusationibus duos libros composuisse „contra Apionem“ ad Epaphroditum.

Revertamur ad Origenem, unde digressi sumus. Illum quoque precibus adductum libros conscripsisse his verbis elucet apud Migne patrol. Gr. XI p. 645. 316 A *ἣν ἀξιοῖς ποιήσασθαι ἡμᾶς ἀπολογίαν . . . ἵνα μὴ δοκῶμεν ὀκνεῖν πρὸς τὸ ἐπιταχθὲν ὑπό σου.* p. 648. 317 B *ἐλογισάμεθα πεισθῆναι σοῦ τῇ προστάξει.* p. 1632, 799 B c. VIII fin. *ἔχεις δ'ἐν τούτοις τὸ τέλος , . . τῶν προστεταγμένων ὑπό σου.*

Ultimum locum obtineat Eusebius, qui libro, qui inscribitur *εὐαγγελικὴ ἀπόδειξις*, obsequitur *αἰτήσει* Theodoti episcopi (cf. c. I.).

Habetis ea, quae dicenda erant de libris institutionis causa dedicatis. Vidimus hos una esse tractandos cum iis, qui precibus vel voluntati eorum, ad quos missi sunt, satisfaciunt. Nonnulla quae restant exempla librorum donatorum petentibus, qui non tam institui voluerant aliqua de re, quam aliis de causis scripta postularant, in fine huius partis disputationis tractabimus.

Dedicatio lucri causa facta.

Iam novae turbae scriptorum animum advertamus, atque huic capiti inscriptionem dare possumus: de dedicatione lucri causa facta. Aliud lemma, quod eundem fere sensum habet, est: de libris ad imperatorem et ad optimates scriptis, quamquam iniustum foret, si omnes pariter scriptores, qui regibus vel imperatoribus vel nobilibus libros dono dant, quasi causa indicta sordidae avaritiae argueremus, sed pauci inter magnum numerum adulatorum integrum animum servaverunt. Quidnam scriptores scriptis lucrari potuerint quaerentibus nobis duplex praemium appetiisse eos notum fit; aliis sat erat gloriam adipisci, alii divitias comparare studuerunt. Quomodo hi desideria implere potuerunt?

Liber dedicatus primo eius est, ad quem scriptor misit, id quod infra accuratius considerabimus, tamen non est dubium, quin libri dedicati plerumque per bibliopolas editi vel publici iuris facti sint. Accidere potuit, ut scriptor ignoti nominis librum editurus et, ne non ex optato divulgaretur, veritus circumspiceret subsidia. Quae dedicatione sibi praestari ratus opus homini summo loco nato sive imperatori ipsi sive nobilium cuidam inscripsit, cuius ut patroni praesidio tectum prodiret in forum librarium. Is, qui accipit librum, scriptorem quasi commendare debet lectoribus, qui fautoris veneratione adducantur, ut benigno vultu excipiant clientem. Quomodo fieri potuit, ut novus scriptor sine nomine ab homine summae auctoritatis adiutus brevi tempore gratiam multorum sibi conciliaret, libri, id quod maxime ei cordi erat, ab omnibus legerentur.

Sed non omnes gloria contenti esse poterant, nisi res familiaris suppeditabat ita, ut secure viverent. Nam etsi libri permulta exempla venibant, fructum percepit bibliopola, scriptori pretium operae solvere mos non erat.[1]) Itaque auctores re familiari destituti ex liberalitate fautorum pendebant, quam ut in se converterent, dedicatione uti consueverunt. Statim perspicuum est hanc ad rem impetrandam vilissimam saepe adhibitam esse adulationem.

Quam opinionem quasi praeiudicatam veram esse exemplis sequentibus probabitur.

Martialis hac in re praeter ceteros floret. Nihil eius interesse imperatorem, ad quem scribit, librum inspicere cognoscimus inspecto primo quinti libri epigrammaton carmine:

Hoc tibi . . .
. . . Caesar . . .
Mittimus, rerum felix tutela salusque.
Tu tantum accipias, ego te legisse putabo.

Itaque non affectat iudicium eius, quem alloquitur. Dedicatione non iam exprimitur amor affectusque scriptoris:

---

[1]) Quod sat mihi demonstrasse videtur Haennyus in capite tertio dissertationis, cui titulum inscripsit: das Verhältnis zwischen Autor und Editor (p. 45—88).

moris vel lucri causa facta vim notionemque principalem amisit. Idem poeta alio loco similibus verbis utitur, quibus superior ille locus magis illustratur. Octavo libro praemisit epistulam oratione soluta ad imperatorem Domitianum scriptam, cuius summa sunt haec verba: *Omnes libelli mei, domine, quibus tu famam, id est vitam, dedisti, tibi supplicant et puto propter hoc leguntur.* Libro igitur quinto dedicato id, quod voluit, consecutus esse videtur: patrocinium imperatoris gloriam ei comparavit, carmina, quippe quae ad se scribi permiserit summus dominus, in omnium manibus versantur.

Neque minus dilucide Statii libri dedicatio cur facta sit non imperatori ipsi, sed aulicis sive, ut rectius dicamus, eis, qui ab aula recesserant (cf. diss. Ruedigeri p. 32), prae se ferunt. In praefatione tertii Silvarum libri Pollium quendam rogat: *huic praecipue libello favebis*, quae preces imprimis quidem spectant ad unum huius libri carmen, sed, ut cognoscitur verbo *praecipue*, totum librum tutelae fautoris commendare student. Haud dissimilibus verbis praefatur libro quarto eiusdem operis: *hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes.*

Flavius Vopiscus, rerum Romanarum scriptor, hominem, cuius nomen non asservatur, initio vitae Divi Aureliani rogat (c. 1_9.): *tu velim meo muneri boni consulas.* Plurimae autem vitae scriptorum historiae Augustae, quorum unus est Vopiscus, imperatoribus Diocletiano et Constantino morem gerunt.

Servius Honoratus centimetro praemittit, qua dedicatio significetur, epistulam quasi tumentem laudibus Albini, ad quem scribit, et adulationis pretium postulantem: *laboris mei velim faveas voto.*

Modestius hac in re se gerunt Graeci scriptores, quorum non pauci imperatoribus Romanis fructus laborum offerunt. E. g. Oppianus Antoninum adfatus ipso heroico metro, ut elationem et exaggerationem orationi adhiberet, coactus est. Romanis relictum erat ad foedissimam adulationem progredi. Quid, quod Vegetius quasi delirans ineunte epitoma rei

militaris antiquissimis temporibus scriptores consuevisse ait studia litteris mandata imperatoribus donare, *quia neque recte aliquid incohatur, nisi post deum faverit imperator, neque quemquam magis decet vel meliora scire vel plura quam principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis.* Paulo infra denuo quasi anxie affirmat minime se in animo habere imperatorem certiorem facere de rebus ei adhuc incognitis: *non quo tibi, imperator invicte, ista videantur incognita, sed ut, quidquid . . . requirendum credis, invenias.*

Musae initio carminum a poetis appellatae in mentem nobis veniunt, si Valerium Maximum praefantem primo libro factorum et dictorum memorabilium audimus his verbis: *te igitur huic coepto, penes quem hominum deorumque consensus maris ac terrae regimen esse voluit, certissima salus patriae, Caesar, invoco;* haec aliaque servi in modum dicta fastidium nobis afferunt. Quae apotheosis,[1]) ut ita dicam, imperatoris Lactantii praefationi libris divinarum institutionum additae exemplar esse potuit, ubi similem in modum haec dicta sunt: *quod opus nunc nominis tui auspicio incohamus, Constantine imperator maxime . . . quem potius appellem, quem alloquar nisi eum, per quem rebus humanis iustitia et sapientia restituta est.* Hoc loco paulum subsistamus, cum Lactantii libri aptissimam ansam praebeant eis, qui hanc dedicationis speciem, de qua agimus, cognoscere velint. Ebertus enim (üb. den Verfasser des Buches de mortibus persecutorum, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1870 XXII 135 sqq.) illam allocutionem ad imperatorem derectam in prima editione non exstitisse contendit. Libros primum usque ad quintum esse scriptos annis 307—10, verba ad imperatorem inserta annis 318—23. Habe ipsius verba: *Es lässt sich wohl denken, dass L. damals eine neue Ausgabe seiner institutiones besorgte und dabei diese Stelle einschaltete.* Haec si recte dicuntur, neque ego improbare possum Eberti coniecturam, qua de causa ad Caesarem dedicatio translata sit (nam non inepte Ebertus coniecit primam editionem inscriptam fuisse

---

[1]) cf. locum Statii supra (p. 5) exscriptum Silv. I, 4 31 sqq.

eidem Demetriano discipulo, cui et alios libros misit) vix ambiguum esse potest respicienti ad ea, quae supra in universum disseruimus de dedicatis ad imperatores libris.

Sed haec missa faciamus. Magnifica illa verba facilius tolerantur in oratione poetica, e. g. Manilii, qui fertur:

I_7. *Hunc mihi tu, Caesar . . .*

$_{10}$. *Das animum viresque facis ad tanta canenda*

vel Germanici Arat. v. 2 sqq.:

Carminis at nobis, genitor, tu maximus auctor
Te veneror, tibi sacra fero . . .
Pax tua tuque adsis nato numenque secundes.

Praeterea haec exempla primorum imperatorum aetatis sunt, qua sinceritas affectuum libris dedicatis expressorum adhuc servabatur. Tum scriptori licuit plura scire quam imperatori (cf. Vegetii locum supra exscriptum), licuit impertire domino doctrinam suam. E. g. Andromachus medicus Neronem instituit de sanandis serpentium morsibus. Imperatorem leges metricas ignorantem Caesius Bassus commentatione d e i a m b i c o adiuvit. Neque minus Graeci scriptores Iulius Pollux et Polyaenus ausi sunt se magistros offerre Caesaribus, ille *ὀνομαστικόν*, hic *στρατηγήματα* elaborantes.

Quin etiam libri ad civitatis rectores missi inter prima dedicationis exempla sunt, quae omnino nobis occurrunt. Inde a tertio enim a. Chr. n. saeculo permultos libros regibus Aegypti et Pergami, Ptolemaeo Philadelpho, Attalo, Eumeni, dono esse datos invenimus. Vix erremus, si hoc modo viros doctos, qui ab regibus suis ad libros per bibliothecas colligendos disponendosque advocabantur, gratiam referre voluisse pro beneficiis a regibus in se collatis arbitremur. Sed his quoque temporibus dedicationem ad reges iam in morem vertisse demonstratur verbis Laertii Diogenis VII, 185, cum dicat de Chrysippo Stoicorum capiti: *δοκεῖ δὲ ὑπερόπτης τις* (insolens) *γεγονέναι· τοσαῦτα γοῦν βιβλία γράψας οὐδενὶ τῶν βασιλέων προσεφώνησε.*

Romanorum primus, si recte docemur exemplis a nobis collectis, Vitruvius Pollio imperatori Augusto libros dono dedit. C. Valgii Rufi et Ovidii Nasonis, qui eadem fuere aetate,

idem consilium irritum factum est; cf. Plin. N. H. 25_4: *C. Valgius Rufus . . . imperfecto volumine ad divom Augustum incohata etiam praefatione;* et Ovid. trist. II, 549 sq.:

Sex ego fastorum scripsi . . .
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Quae huc usque tractavimus exempla, eorum semper complura comprehensa in universum considerare potuimus. Ad quae universa si respicimus, multo maiorem partem eorum ad doctrinam et institutionem spectare cognoscimus et originem ducere ex voluntate eius, qui accipit, quo factum est, ut tractatio huius partis plurimum spatii impleat.

Nonnulla exempla dedicationum praeter ceteras memorabilium.

Nunc quasi spicilegium faciendum est, ut iis exemplis, quae superioribus dissertationis partibus locum obtinere non poterant, satis faciamus. Atque etiam operae pretium est reliqua exempla perlustrare: sunt enim nonnulli scriptores digni, quorum libri dedicati accuratius separatim illustrentur. In quorum numero recognoscimus Senecam minorem et Plutarchum tristi vultu consolantes. Seneca Marciam Cremutii Cordi filiam mortem filii dolentem erigere vult in consolatione ad Marciam. Eundem finem spectat eiusdem libellus ad Polybium de consolatione, quamquam non tam sincera fluxit e mente: vilissimam scilicet adulationem imperatoris consolationi ibi admiscet scriptor cum speret fore ut revocetur ex exsilio in urbem. Librum de consolatione ad Helviam matrem filium exsulem gementem perfecit idem, ut misericordia imperatoris excitata reditus sibi permitteretur in patriam.

Plus sinceritatis animi inest in Plutarchi *παραμυθητικῷ πρὸς τὴν ἰδίαν γυναῖκα*, quod mirum esse non potest, cum agatur de Plutarchi filio, qui diem supremum obiit ipso absente. Eidem auctori falso ascribitur *παραμυθητικός* ad Apollonium quendam, cuius auctor ignotus cum usurpet verba (c. 37): *διαγαγών σοι . . . ἀπειργασάμην σοι λόγον*, eius modi scripta pro dedicatis esse habenda sine ulla dubitatione affirmaverim.

Sed haec hactenus, iam animum nostrum in se convertunt Iustinus, Balbus, Solinus digni, quorum consilia in libris dedicandis illustrentur. Mirum enim aliquid et inauditum ab iis, ad quos libros mittunt, postulant: ut scripta sua emendent, unde quam politissima pergant in manus bibliopolae perque eum in forum librarium.

Balbi ipsius verba haec sunt (scripsit expositionem et rationem omnium formarum ad Celsum): *itaque quo cultior in quorundam notitiam veniat . . . ad te primum liber iste festinet, apud te tirocinii elementa deponat*, quae postulata quo facilius concedat, summis laudibus effert doctrinam Celsi.

Neque minus aperte Iustinus, qui excerpsit historias Philippicas Pompei Trogi, quid spectet, cum librum offerat homini, cuius nomen non servatum habemus, in praefatione profitetur: *quod ad te non cognoscendi magis quam emendandi causa transmisi.*

His exemplis inducti fortasse iam non fallemur, si ex epistula a Solino cum collectaneis rerum memorabilium Advento missa concludemus Solinum sperasse fore ut munere emendatoris fungatur Adventus, si nomen eius libro inscripserit. Habe ipsius verba: *cum et aurium clementia et optimarum artium studiis praestare te ceteris sentiam . . . reputavi examen opusculi tibi potissimum dare.*

Optatissimum hoc loco occurrit exemplum ex scriptore Graeco sumptum, dico librum XIII Phrynichi *σοφιστικῆς παρασκευῆς*, quae continebat 37 libros, Basilidae Milesio cuidam dedicatum. Quod commemorat Photius cod. 158 his verbis: *ὁ δὲ Βασιλείδῃ τῷ Μιλησίῳ σοφιστῇ προσεφωνήθη, ἐν ᾧ φησὶν αὐτίκα τοῦ ἀνακύψαι τῆς νόσου ποιήσασθαι τὴν πρὸς αὐτὸν γραφὴν καὶ αἰτεῖται τῶν διὰ τὴν νόσον, ὡς εἰκός, αὐτῷ ἐν τῷ γράμματι παρασφαλέντων ἐπιθεῖναι τὴν διόρθωσιν.* Octavum eiusdem operis librum fuisse dedicatum Iuliano cuidam eodem loco legimus: *τὸν μέντοι ὄγδοον πάλιν Ἰουλιανῷ ἀνατίθησι καὶ αἰτεῖται αὐτὸν, εἴ τι ἀτελῶς εἴρηται* (a se morbo confecto) . . *ταῦτα διαθεῖναι πρὸς διόρθωσιν.*

Plane aliud consilium olim secuti sunt Sulla et C. Lutatius Catulus, quorum uterque commentarium, quem de vita sua vel de vitae parte scripserat, dedicavit. Sullam id fecisse scimus ex Plutarchi Luculli vita 1: (Sulla) *προσεφώνησεν* (Lucullo) . . . *ὡς συνταξομένῳ καὶ διαθήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον*, quae meo quidem arbitrio nullo alio modo explicari possunt, nisi Sullam eo consilio scripsisse ad Lucullum, ut ei quasi materiem daret ad historiam conscribendam. Hoc exemplo cognito libentius H. Peteri coniecturam (J. J. 115_{751}) de commentariis C. Lutatii Catuli factam probamus, qui dicit Catulum librum, *quem de consulatu suo misit ad A. Furium poetam* (Cic. Brut. 35_{132}), huic inscripsisse, ut ea, quae consul gesserit, versibus persequatur.

Quam coniecturam eo minus improbare possum, quod alio quoque exemplo ostenditur poetae a scriptore pedestri afferri potuisse materiem, qua uteretur ad carmina pangenda. Nam cum Peteri perlegissem commentationem, statim mihi in mentem venit memoria Parthenii Nicaeensis, quem in usum Cornelii Galli Romani collegisse amorum fabulas (*ἐρωτικὰ παθήματα*) haud ignorabam, quibus uteretur in elegiis Alexandrinorum in modum componendis; cf. epistulae libro praefixae verba: *σοὶ παρέσται εἰς ἔπη καὶ ἐλεγείας ἀνάγειν*.

Cicero denique de consulatu suo quod scripserat *ὑπόμνημα*, Posidonio misit, *ut ornatius de isdem rebus scriberet*; cf. ad Att. II. 1_{2}.

Non poetae at oratori copiam exemplorum afferre vult Iulius Paris epitoma ex Valerio Maximo facta: *Exemplorum conquisitionem cum scirem esse non minus disputantibus quam declamantibus necessariam . . . ut et facilius invenires, si quando quid quaereres, et apta semper materiis exempla subiungeres.*

Quanta in aestimatione apud veteres librorum dedicatio fuerit.

Haec fere mihi dicenda erant exponenti quam habeat vim, quae consilia sequatur librorum dedicatio. Iam secundae dissertationis parti, qua demonstrandum erit qua ratione quibusque formulis libri dedicatio expressa sit, accedere

possemus, nisi pauca verba facienda essent de re, quae, cum respiciat ad primam et pertineat ad alteram partem, aptissime hunc medium locum optinere videtur.

Contemplandi sunt, ne longus sim, nonnulli ipsorum veterum scriptorum loci, quibus et suppleri possunt, quae supra exposuimus de causis dedicationum, et quomodo libri dedicati distinguantur a ceteris edocemur, cui quaestioni altera parte animum advertemus. His locis quanti apud antiquos donum libri aestimatum sit cognoscimus. Summum honorem habebat is, quem scriptor in libro allocutione dignabatur, videlicet eo maiorem, quo celebrior erat scriptor, quare non semel homines ambitiosos contendere videmus, ut hoc honore ab auctore quodam afficiantur. Hi sunt loci:

Cic. ad fam. V_2 (ad Brutum) *nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis.*

Similiter Lactantius in epitoma institutionum divinarum ad Pentadium fratrem praef.: *tibi epitomam fieri, Pentadi frater, desideras, credo ut ad te aliquid scribam, tuumque nomen in nostro qualicumque opere celebretur.* Atque si dicto ridiculum in modum immodesto Apionis (Plin. N. H. praef. 25 *Apion quidam grammaticus . . . immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat)* detrahimus ipsam immodestiam, eo, quod relinquitur, pro honore dedicationem esse habitam demonstratur.

Opus enim dedicatum primo eius fuit, ad quem missum erat; immortalitatis, sive ut rectius dicam, nominis famae nulla alia via nisi editione particeps fieri potuit, qua facta nomen legebatur in omnibus exemplis, quae venibant (hac de re accuratius dicendum erit proxima parte) ita, ut semper maneret coniunctum cum opere usque ad hunc diem.

Apionem ostentatione fere aequat Scymnus Chius, qui vocatur, v. 45 sqq. dicens de Apollodoro Atheniensi:

> ἀθάνατον ἀπονέμοντα δόξαν Ἀττάλῳ
> τῆς πραγματείας ἐπιγραφὴν εἰληφότι.

Restat, ut verba Plutarchi, Donati, Ausonii similia exprimentia afferam:

Plut. Ti. Gracch. 8 (Blossius) τετιμημένος ὑπ' αὐτοῦ προσφωνήσεσι (ab Antipatro Tarsensi). Donatus in vita Vergilii 20 dicens de Georgicis a Vergilio Maecenati dedicatis: *edidit Georgica in honorem Maecenatis.* Apud Ausonium in epistula Theodosii Augusti ab Ausonio petentis, ut exemplum carminum sibi mitteret secutus exempla auctorum optimorum, *qui Octaviano Augusto certatim opera sua tradebant nullo fine in eius honorem multa condentes;* cf. ed. Peiperi p. 3.

Iam dilucidius fit cur tam saepe scriptores petiti sint ab aequalibus, ut ad se aliquid componerent. Non paucos inter eos, quos supra ab auctore quodam institutionem petere vidimus, magis honorem spectasse suspicari licet, et quorum librorum rogantibus dedicatorum tractationem supra distulimus, iam novissima expositione explicati sunt.

Neque minus optimates cur pauperes scriptores tam libenter iuverint, cur iterum ac saepius opera offerentes non reppulerint intellegimus: scilicet nomen suum ut hominum liberalium in omnium oribus versaturum sperabant. Haec igitur dedicatio genita altera ex parte inopia pecuniam quaerentium, altera ex parte ambitione gloriam appetentium, cum indignissimae adulationi inserviret, veteris sinceritatis vim plane amisit.

II. Quibus formulis facta sit dedicatio.

Verba, quibus exprimitur dedicatio.

Quoniam vidimus quibus causis veteres scriptores adduci potuissent, ut libros suos aequalibus dono darent, qua ratione quibusque formulis, si quis auctor id consilium cepit, libri dedicati a ceteris distingui soliti sint exponemus. Quam ad rem explicandam nobis ex duobus fontibus hauriendum est: ex ipsorum, qui dedicaverunt, scriptorum libris conservatis et ex aliis scriptoribus, qui cum unum alterumve veteris auctoris librum commemorent, numquam fere non, si in honorem alicuius scriptus sit, paucis verbis annotant.

Exponentes igitur primum quibus verbis ipsi veteres scriptores, qui in nostra manu sunt, librum dedicatum significaverint, Graecos prius tractabimus atque a poetis incipiemus.

Praemitto primis versibus fere semper positum esse nomen eius, ad quem scribatur, in vocativo[1]) posteaque iterum ac saepius repeti vel pronomine personali secundae personae vicem eius impleri, id quod in sequentibus non semper repetam, cum maioris sit momenti cognoscere quae verba occurrant proprie usurpata ad dedicationem ostendendam.

Compluriens poeta attentionem eius, ad quem scribit, in se convertere studet, cum dicat *κλῦθι* (Andromachus *θηριακὴ δι᾽ ἐχιδνῶν* v. 1). Empedocles apud Laert. Diog. VIII, 60 *κλύοις ἄν*, item Lycophron, *Ἀλεξάνδρα* v. 9; *εἰσαΐοιτε*, si complures invocat, ut Oppianus Hal. IV_6, V_{44} *ἀΐοιτε*; vel *γνῶθι* (Philippus Anth. Pal. IV_6); *λέγω* (Agathias Anth. Pal.

[1]) Andromachus *θηριακὴ δι᾽ ἐχιδνῶν* v. 2 *Καῖσαρ* v. 3 *Νέρων*. Anthol. Pal. IV. Philippi corona v. 5 *ἐσθλὲ Κάμιλλε*. Babrius fab. praef. A. v. 2. 10. Ps. Manetho Apotelesm. v. 1 *ὦ Πτολεμαῖε*. e. q. s.

IV. 113 δέ σοι λέξαιμι), αὐδάω (Nicander Alexipharm. v. 5), ἐξερέω (Oppianus Hal. I_3), ἀείδω (Ps.-Oppian. Cyneget. I_1); haec verba dicendi declarandique cum dativo coniuncta etiam apud scriptores pedestres iterum ac saepius leguntur, neque apud eos deest δῶρα φέρω (Ps.-Manetho ἀποτελεσμ. I_8). Magis poeticum in modum cadunt ἐμόχθεόν σοι, ἤσκησα ἐργασίην εἴς σε (Agathias Anth. Pal. IV_{108} sqq.), Meleagri (Anth. Pal. IV, 4) ἐκπονῶ σοι.

Multo maior autem est ut numerus scriptorum pedestrium, qui libros scripserunt ad amicos, ita varietas verborum, quibus dedicatio exprimatur.

Verba saepissime obvia sunt, quae notionem habent mittendi πέμπω[1]), ἀποστέλλω[2]) σοι, πρός σε, ἐπιστέλλω (Plutarchus)[3]), quaeque non procul absunt ab hac significatione προσφέρω[4]), συμβάλλομαι[5]). Haud minus saepe usurpantur verba dicendi et scribendi λέγω[6]), γράφω[7]), ἀναγράφω[7]). Hoc loco etiam collocanda sunt verba, quibus maxime proprie apud scriptores Graecos significatur dedicatio, προσφωνέω[8]) σοι vel πρός σε, praeter quod semel invenitur apud Eusebium ἐπιφωνέω[9]). Ad componendum et elaborandum opus spectant ποιεῖν[10]), ἀπεργάζεσθαί[11]) τινι, quae legentibus nobis in mentem venit memoria verborum a poetis adhibitorum ἐκπονεῖν, μοχθεῖν, quae supra adscripsimus. Qui libri instruendi causa scripti sunt,

1) Apollodorus Damasc. πολιορκητικά praef. Aelianus Tacticus τακτικὴ θεωρία (ad Traianum) prf. Lucianus Nigrinus prf. Ἀλέξανδρος c. 1.

2) Hesychius Lexicon prf. Philon περὶ βελοποιικῶν c. 1.

3) Plutarchus περὶ εἱμαρμένης c. 1.

4) Polyaenus στρατηγημ. prf. I II III etc. (π. ἐφόδια).

5) Pollux ὀνομαστικόν I prf.

6) Artemidorus ὀνειροκριτικά II 70. Philon (cf. ann. 2) c. 62.

7) Dion. Hal. π. τοῦ Θουκυδ. χαρακτ. fin. Evang. Luc. I 3. Bito κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων fin. Philostratus βίοι σοφιστῶν prf.

8) Artemidorus (cf. ann. 6) IV prf. V prf. Plutarchus συμποσιακῶν προβλ. II prf.

9) Παρασκευὴ εὐαγγελική I 1.

10) Artemidorus III prf. IV 84.

11) Ps.-Plutarchus παραμυθητικὸς πρὸς Ἀπολλώνιον fin.

hunc finem his verbis prae se ferunt διάγω[1]), δηλόω[2]) σοι, meminimus nos supra apud poetas similia legere. Dedicationem pro dono habitam esse ostenditur verbis δῶρον δίδωμι[3]), δῶρον προσφέρω[4]), δ. ἀνατίθημι (Plutarchus, cf. p. 6_{18}).

Deinde bis, qui donant, eos, ad quos scribunt, ut accipiant donum, adhortantur: πραγματείαν προσδέχου (Dion. Hal. de c. v. 1, ubi fortasse melius legatur παραδέχου), δέχου τὴν αἴτησιν (Eusebius Εὐαγγελικὴ ἀπόδειξις I 1), ubi verbo αἴτησιν edocemur Eusebium morem gerere precibus eius, ad quem scribit. Quod item verbis elucet Iosephi ἀποδιδόναι τὴν ἀναγραφήν (vita Iosephi c. 76 fin.), quod sat accurate respondet Latino reddere. Ἐφωδίασά σοι apud unum Apollodorum Damascenum legitur (πολιορκητικά prf.) Semel apud Galenum (ed. Kühn V. 3_{11}) διήξω σοι, cf. infra Latinum percurram.

Haec fere ex ipsis Graecorum libris promere potuimus, iam Romanos in conspectum vocemus. Earum formularum, quas adhibuerunt poetae, non afferam nisi eas, quae in oratione pedestri non legantur. Memorabilissima sunt Germanici verba, quibus offert patri Aratea (v. 3):

Te veneror, tibi sacra fero.

Imperatorem alloquitur Manilius quoque, qui fertur, his verbis v. 7 sqq.:

Hunc mihi tu . . .
Das animum viresque facis ad tanta canenda.

Ovidius in animo habuit Augusto mittere fastos, sed exsilio, quominus id faceret, impeditum se esse dolet; cf. Trist II, 549 sqq.:

. . . tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Ausonii et Lucretii verba ex carminibus desumpta originem prae se ferunt *luseram ad te*[5]), *pangere conor Memmiadae*[6]).

---

1) Plutarch. (cf. p. 28 ann. 11) fin.
2) Lucianus Νιγρῖνος prf. Ps.-Luc. Μακρόβιοι 29.
3) Dion. Hal. de comp. verb. c. 1.
4) Ps.-Lucianus Μακρόβιοι c. 1.
5) Liber protrepticus ad Nepotem.
6) De rerum nat. v. 25 sqq.

Catulli illud *cui dono?* (c. I_1) et Pseudovergilianum in Ciri *accipe dona* (v. 46) iam supra ad aliam rem demonstrandam a nobis adhibita sunt.

Iam maior turba scriptorum pedestrium animum nostrum in se convertit. Verba *scribere*[1]) et *mittere*[2]) cum compositis *perscribo*[1]), *conscribo*[1]), *transmitto*[2]) respondent Graecis γράφω, πέμπω, ἀποστέλλω. Quasi passivum verbi mittere accipi potest Balbi[3]) *liber ad te festinet* pro *liber ad te cito mittatur*. Haud raro legimus duo verba scribo et mitto hunc in modum coniuncta *librum ad te scriptum misimus* (e. g. Caelius Antipater apud Cornific. IV_{18}). Verborum, quae notionem habent dicendi et demonstrandi, occurrunt *dicere*[4]), *explicare*[5]), *intimare*[6]), *exponere*[7]), *percurrere*[8]), *perorare*[9]) ad.

Quae verba apud nos omnium sunt usitatissima, si loquimur de libris vel aliis de rebus alicui dono datis, *dicare* et *dedicare*, haud ita saepe apud veteres leguntur. Primum usurpatum est, si exemplis a nobis collectis fides habenda est, primo p. Chr. n. saeculo a Phaedro (*dedicamus meritis tuis* fabul. Aesop. III prol. 30), a Plinio in praefatione ad historiam naturalem 6. 11. 12. (*tibi dicantium*, *tibi dico*, *dedico*), a Quintiliano instit. orat. I prf. 6, IV prf. (*dicamus tibi*, *dedicati operis*), a Statio (silv. IV prf.); quarto saeculo Firmicus Maternus matheseos libros *dicat* Mavortio Lolliano (prf. I).

[1]) Ampelius liber memorialis prf. Censorinus de die nat. c. 1. Plinius N. H. prf. 19; *perscribo*: Lactant. de opificio dei c. 1. conscribo: Cic. Cato maior c. 1, Top. c. 1.

[2]) Cic. de fin. III 6. Statius Silv. III prf. Iul. Paris epit. Val. Max. prf.; *transmitto*: Firm. Mat. matheseos l. VII prf. Iustinus Histor. Philippic. epit. prf.

[3]) ratio et expositio omnium formarum c. 1.

[4]) Vergil. Georg. IV, 3.

[5]) Firm. Mat. (cf. ann. 2) VII, 27.

[6]) Firm. Mat. V, 16.

[7]) Vitruvius de archit. III prf. 15.

[8]) Varro r. r. II, 6.

[9]) Lactantius de opif. dei c. 19.

Haec verba ut Graecum ἀνατιθέναι etiam dicuntur de muneribus dis factis, quae similem vim habent *despondere*[1], *consecrare*[2], *devovere*[3], semel usurpantur de libris donatis a Cicerone, a Firmico Materno, a Servio Honorato.

Graeci verbi ἐκπονεῖν vel ἀπεργάζεσθαι nos monet Latinum *elaboro*[4], *perficio*[5] ad, eandem notionem fere habet *compono*[6] tibi vel ad te. Verbi *ferre* composita *deferre*[6], *offerre*[7], verbi *do*[7], quod ipsum occurrit apud Solinum in collectaneis rerum memor. prf. (*examen tibi do*), composita leguntur *mando*[8], *edo*[8], *trado*[8], *reddo*[8], quorum ultimum significat scriptorem rogatum scribere et *percontationi respondere* (ut dicit Tacitus dial. de orat. 1). Cornificius Herennii *voluntati morem gerit* (rhetor. II, 50), *munus voluntati eius largitur* (rhet. I, 27), *persolvit* (rhet. IV, 1), Firmicus Maternus *promissa reddit* (I prf.), librum *credit* Lolliano (VIII, 33). Ut supra Solinus alicui *examen operis dat*, ita alius librum *offert iudiciis* (Balb. expos. omn. form. prf.), alius *cognitioni sternit* (Spartianus vitae Helii prf.) alicuius. Lactantius *invocat*, *appellat*, *alloquitur* imperatorem (inst. div. I, 1_{13}). Soranus medicus (V. sc. p. Chr. n.) verbo *insinuare* cum dativo utitur, ut dedicatio cognoscatur. Caelius Aurelianus medicus (acut. pass. l. III) quinti p. Chr. n. saeculi et Iulius Capitolinus scriptor rerum gestarum (vitae Gordianorum trium c. 1) opera *destinant* ad aequales. Accuratissime Graeco, quod supra cognovimus προσδέχου, δέχου τὴν αἴτησιν, respondet Latinum *accipe* (Firmici Mat. VIII, 33, Rufi Festi Brev. c. 1, Fortunatiani ars), *accipies hoc opusculum* apud Cice-

---

1) Cicero ad Att. XIII. 12 s.

2) Firm. Mat. VIII. 33.

3) Servius Hon. centimetr. prf.

4) Augustinus de spiritu et littera c. 1.

5) Cicero ad Att. XIII, 18.

6) Itin. Al. Magni c. 1. Sacerdos de metris prf. Plin. N. H. prf. 25.

7) *deferre*: Capitolinus vita Macrini 15_4; *offerre*: Lamprid. vit. Anton. Heliogab. c. 35.

8) *mando*: Firm. Mat. VIII, 33; *edo*: id. I prf. VIII, 33; *trado*: Statius silv. II prf.; *reddo*: Aquila Romanus de fig. sentent. prf.

ronem obvium (Paradoxa prf.), *habe opus* (Flavii Vopisci vitae Cari Carini et Numeriani 21 $_{2}$).

Praefationes et epistulae libris praefixae.

Haec verba, quae ex omnibus exemplis librorum dedicatorum collegi, fere semper coniuncta cum nomine alicuius in vocativo apposito leguntur, collocata autem esse solent initio epistulae vel praefationis libro dedicato praefixae; rectius dicemus, si praemittatur epistula, nomen eius, ad quem liber mittatur, in inscriptione stare in dativo, e. g. *L. Ampelius Macrino suo salutem.*

Atque ut primum de epistula libro praefixa disseram, veram fuisse epistulam puto, quae una cum libro a scriptore ad eum, qui accepit opus, mittebatur, ut cognosceret pro dono esse habendum librum. Itaque litteras principio non in eodem volumine scriptas fuisse existimo atque commentationem dedicatam, sed tabulis ceratis, ut fieri solebat, mandatas additas esse libro. Postea si editio futura erat, atque cum usu venisset libros dedicatos etiam in editione nota dedicationis distinguere, id quod infra accuratius tractabimus, hae litterae ipsi volumini praefigebantur. Veras fuisse epistulas imprimis eo demonstrari mihi videtur, quod litterae Ciceronis ad Atticum Academicis praemissae non solum leguntur in prima huius libri pagina, sed etiam in numero exstant epistularum ad familiares re vera datarum (IX, 8). Neque cogitari potest ab initio statim per speciem litteras additas esse, ut dedicatio exprimeretur, id quod procedente tempore sine dubio accidit.

In ipso tamen volumine a principio, i. e. in ipso exemplo libri ad eum, cui dedicatur, misso scripta fuisse puto prooemia sive praefationes, quae quasi vices litterarum obierunt.[1])

[1]) Birtius (Buchw. p. 141 sqq.) hanc quaestionem in conspectum vocat, cum dicat Polybii et Hieronymi prooemia extra volumen *(„an der Aussenseite der Rolle")* exstitisse, ut lectorem certiorem faciant quid contineatur libro. Quam coniecturam ut apud Polybium et Hieronymum probare possum, ita prooemia, quibus dedicatio significatur, eodem modo extra volumen agglutinata fuisse non puto. Tanti meo quidem arbitrio momenti non erat dedicatio, ut primo obtutu a lectore, priusquam volumen

Epistula scilicet tabellis inscripta et libro addita cum facile amitti posset, ea verba, quibus certior fieri debebat is, cui liber mittebatur, de dedicatione, ipsi commentationi inserebantur. Itaque praefationes nihil aliud spectant atque epistulae; quae sit causa, qui finis dedicationis, quam rem quoque modo auctor agere velit, et in epistulis et in praefationibus plerumque exponitur. Neque tamen res ita se habet, ut praefationibus epistulae plane quasi loco suo demotae sint, sed omnibus temporibus libri dedicatio sive epistula sive prooemio significabatur.

Nonnullis exemplis rem magis illustremus.

Integra epistula e. g. occurrit initio Luciani libri, qui inscribitur *Νιγρῖνος ἢ περὶ φιλοσόφου ἤθους*, cum incipiat verbis *Λουκιανὸς Νιγρίνῳ εὖ πράττειν* neque non habeat finem epistularum usitatissimum *ἔρρωσο*. Neque minus Flavii Philostrati operi, cui titulus est *βίοι σοφιστῶν*, atque Iulii Pollucis anteeunt verba in formam epistulae redacta: *τῷ λαμπροτάτῳ ὑπάτῳ Ἀντωνίῳ Γορδιανῷ Φλάβιος Φιλόστρατος . . . ἔρρωσο Μουσηγέτα, Ἰούλιος Πολυδεύκης Κομμόδῳ Καίσαρι χαίρειν . . . ἔρρωσο κύριε.*

Romanorum e. g. A. Hirtius octavum belli Gallici librum mittit Balbo, Donatus commentarium in Vergilium compositum Munatio, cum dedicationis notam praemittant epistulas (*A. Hirtius Balbo sal. . . . vale. — Donatus L. Munatio sal. . . . vale.* cf. Philolog. XXIV 154).

Atque si exponere oportet quid intersit inter epistulae et praefationis formam, de epistula dicendum esse putavi, si inscriptio legatur hunc in modum composita: *Gaius Iulio sal.* vel *χαίρειν* vel *εὖ πράττειν*, etiamsi persaepe illud concludens *vale* vel *ἔρρωσο* desideretur, ut apud Ampelium

---

evolveret, cognosci deberet. Martialis et Statii prooemia, quae eodem modo ac Polybii cum volumine fuisse coniuncta existimat Birtius (cf. p. 142 annot. 3), sunt epistulae (i. e. fortasse missae ut una cum exemplo dedicationis, ita separatae a volumine), atque verisimile est ea demum facta omnium exemplorum editione ipsis voluminibus esse inserta, quo factum est, ut *extra ordinem paginarum* exstent.

lib. memor., Eutropium breviar. ab urbe cond., Hesychium lex., Philonem tacticum *π. βελοποιικῶν*.

Prooemiorum ab auctoribus Graecis ad significandam dedicationem adhibitorum locum hic obtineant primum illa in quarto libro Anthol. Palatinae servata. Meleager, Agathias, Philippus epigrammatis collectis praefationes oratione poetica compositas praefixerunt nobis servatas, quibus non solum libros esse dedicatos exprimant, sed etiam quibus fontibus quoque ordine usi rem suam egerint explicent.

Scriptorum pedestrium Apollodorus Damascenus e. g. commentationi, cui titulum inscripsit *πολιορκητικά*, pauca verba de dedicationis causa praemittit.

Prooemiorum apud scriptores Romanos obviorum praecipue memorabilia sunt, quae Statius compluribus Silvarum libris, Palladius libro XIV de re rustica, quo verba facit *de insitione* metro usus, praefixerunt oratione soluta scripta. Neque Martialis silentio praetermittendus est, qui II, VIII, XII epigrammaton libros dedicatos significat epistulis sermone pedestri usus.[1]) Cuius rei exemplum apud Graecos non inveni.

Ceterum et Graeci et Romani opera donaturi compluribus libris constantia et praefationes et epistulas ante singulos libros repetunt, atque haud raro putandum esse mihi videtur auctorem, cum libros non uno tempore sed singulos deinceps mitteret, saepius de dedicatione deque via ac ratione sua disserendi certiorem facere voluisse eum, ad quem scripsit.

Seneca filios Novatum, Melam, Senecam per litteras alloquitur ante libros II, VII, IX, X controversiarum, neque epistulas ante libros III et IV amissos defuisse discimus ex epitoma horum librorum nobis servata. Apud

[1]) Tragoediis tales praefationes praemisisse videntur Seneca et Pomponius Secundus, cf. Quintil. VIII, 3 31 *memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum an „gradus eliminat" in tragoedia dici oportuisset.* Certe huc spectat, quod scripserunt prooemia oratione soluta usi, quamquam nescimus num iisdem prooemiis dedicatio expressa fuerit.

Cyprianum ante duos operis ad Quirinum libros legimus epistulam hunc in modum scriptam: *Cyprianus Quirino filio sal. . . . opto te, fili carissime, semper bene valere.*

Auctorum Graecorum Iulius Pollux scripsit *ὀνομαστικὸν* decem librorum, quorum quisque invocat imperatorem Commodum litteris praefixis. Polyaenus octo libros *στρατηγημάτων* totidem proemiis ad verbum fere consentientibus exornatos ad M. Aurelium et Verum mittit. Longum est plura ex innumerabili fere copia exemplorum afferre, animum advertamus in exempla nonnulla librorum, quibus dedicationis nota impressa est et in prooemiis et in epilogis.

Dedicationis nota in epilogo repetita.

Haud raro prologo, si ita dicere licet epistulas et praefationes, respondet epilogus quamvis brevis, quo is, qui librum accipit, denuo appellatur, atque non solum in fine totius operis, sed etiam singulorum librorum leguntur.

Origenis opus constans octo libris *κατὰ Κέλσου* prooemia habet ante I, III, IV, V, VI, VII, aspernatur in II et VIII. Huius libri autem simulque totius operis ultimum caput allocutionem praebet Ambrosii, quem omnes praefationes appellant: *ἔχεις δ' ἐν τούτοις, ἱερὲ Ἀμβρόσιε, τὸ τέλος . . . τῶν προστεταγμένων ὑπό σου* (Migne patrol. Gr. XI. p. 1632 799 B).

Artemidori autem *ὀνειροκριτικά* et initio et in fine uniuscuiusque libri nuncupant eum, cuius gratia sunt composita; cf. I, 82, II, 70 *εἴρηταί σοι, Κάσσιε Μάξιμε.* III, 66 *Κάσσιε Μ.*, IV, 84 *ὦ τέκνον.*

Dionysii Halicarnassei libellus de compositione verborum etiam significatione dedicationis quasi includitur, cum allocutio primi capitis *Ροῦφε Μελίτιε* repetatur in ultimo (*τοῦθ' ἕξεις δῶρον ἡμέτερον, ὦ Ῥοῦφε*). Neque dissimilia apud Lucianum invenimus, cf. libellum *πῶς δεῖ ἱστορίαν γράφειν* c. 1 *ὦ καλὲ Φίλων.* c. 63 *οὗτός σοι κανὼν καὶ σταθμὴ ἱστορίας δικαίας* — *Ἀλέξανδρος* c. 1 *ὦ φίλτατε Κέλσε, . . . πέμψαι.* c. 61 *ταῦτα, ὦ φιλότης, γράψαι ἠξίωσα καὶ σοὶ χαριζόμενος ἀνδρὶ ἑταίρῳ.*

Possum sescenta huius modi exempla ex scriptoribus Graecis collecta afferre, sed auctores Romani tractandi sunt.

Praeter ceteros igitur floret Firmicus Maternus (paganus), cum in conscribendis singulorum voluminum praefationibus et epilogis verbis non parcat. Mavortio Lolliano donat matheseos libros octo certis condicionibus additis, quas iterum ac saepius repetit. Quae praescribat Lolliano infra considerabimus, hic sat erit dicere praecepta illa expressa esse in octo librorum praefationibus, neque tamen deesse in fine librorum V, VI, VII. Ultimum totius operis simulque libri octavi caput totum huic rei datum est.

Quintilianus ut institutionis oratoriae libris I, IV, VI Vitorium Marcellum alloquitur praefatione, ita XII libro operis ultimo epilogum adiungit.

Vegetius denique omnibus libris epitomae rei militaris ineuntibus imperatorem appellat, exeuntibus primo, tertio, quarto.

Vereor, ne longus sim, si plura verba hac de re fecerim, itaque haec missa faciamus, praesertim cum nonnulla prooemia infra animum nostrum in se conversura sint.

Allocutio in medio libro iterum ac saepius repetita.

Nonnulli scriptores, cum non sat haberent amicos, ad quos scribebant, alloqui primo et ultimo sive libri sive operis capite, totam commentationem quasi referciebant notis dedicationis iterum atque iterum nomine eius, ad quem scribebant, in vocativo inserto ita, ut lector non solum initio et fine operis, sed etiam unoquoque capite admoneretur rem sibi esse cum libro dedicato. Is, qui accipit librum, hoc modo auctorem conscribentem dissertationem semper de se instituendo cogitasse certior factus allocutione repetita, ut acuat animum ad attendendum, excitatur. Atque nescio an suspicari liceat librum hoc modo omnibus in partibus distinctum nota dedicationis a primo ad dedicationem esse destinatum. Nam haud raro accidit, ut opere iam perfecto demum auctoris in mentem veniret amico cuidam dare. Plinius e. g., qui scripsit naturalem historiam, dicit in praefatione ad imperatorem

Titum § 6 *cum operam condicerem, non eras in hoc albo.* Facile enim erat libris perfectis litteras vel prooemium praefigere, omni tamen in capite dedicatio exprimi non potuit nisi librorum a principio eo consilio scriptorum, ut dedicarentur.

Habe exempla nonnulla. Libellus Longini, qui fertur, *περὶ ὕψους*, postquam primo capite dilucide dictum est esse donum (*γράφω δὲ πρός σε, φίλτατε*), capitibus 4, 6, 7, 9, 26, 28, 44 his allocutionibus utitur: *Τερεντιανὲ φίλτατε, ἥδιστε, ὦ φίλος, ἑταῖρε.*[1])

Annaeus Cornutus ad filium scribit *περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως* hoc modo appellatum: *ὦ παιδίον, ὦ παῖ, ὦ τέκνον* (c. 1, 17, 25, 28, 32). Apud Dionysium Hal. in arte oratoria allocutio Echecratis repetitur capitibus 2, 5, 7, cum in sequentibus desideretur.

Neque scriptores Romani hac in re dissentiunt a Graecis. Firmicus Maternus (Christianus) e. g. de errore profanarum religionum disserens Constantium et Constantem filios Constantini, quibus dedicat, saepius invocat hunc in modum: *Constanti et Constans, sacratissimi imperatores; sacrosancti imperatores; domini imperatores; sacrosancti principes* (6_1. 8_4. 13_1. 16_4. 17_1. 20_7. 24_9. 25_1. 28_6).

Etiam apud Ciceronem (cf. de off.) et apud Augustinum nomen eius, ad quem liber scriptus est, in ipsa commentatione saepius occurrit[2]). Atque ne poeta desit, Lucretius commemoretur: primus de rerum natura liber praeter prooemium et epilogum ad Memmium scripta semel (I, 1082) habet vocativum *Memmi*, ceterorum librorum secundus et quintus allocutionem praebent *Memmi* vel *inclyte Memmi* his locis: II, 143. 182. 1080. V, 93. 164. 864. 1280.

Digni denique, de quibus nonnulla verba faciamus, sunt scriptores historiae Augustae. Neque enim desunt vitae, ubi legatur allocutio initio et in fine, aliquotiens praeterea ipsi narrationi inserta; cf. Iulii Capitolini Gordiani tres,

---

[1]) Addas Ps.-Manethonis *ἀποτελεσμ.* I, 1. V, 11. *ὦ Πτολεμαῖε.* V, 1. *βασιλεῦ Πτολεμαῖε.* V, 35. 207. *βασιλεῦ.*

[2]) Conferas Asconium Pedianum, quem supra commemoravimus.

et in aliis desideratur in primo capite, legitur non semel in media disputatione (Iulii Cap. Verus c. 2_4 M. Antoninus 19_{12}). Alias denique esse dedicatas non cognovimus nisi ex ultimo capite; cf. e. g. Trebellii Pollionis triginta tyranni c. 33: *Habes integrum triginta numerum tyrannorum, da nunc cuivis libellum;* vel Flavii Vopisci Carus et Carinus et Numerianus c. 21_2: *Habe, mi amice, meum opus . . . te quaeso sis contentus.*

Epistulae dedicatae.

Iam venimus ad aliam dedicationis significationem contemplandam, dico epistulam. In enumerandis verbis, quae exprimant dedicationem, saepissime usurpari verba *mittere* et *scribere* coniuncta cum praepositione *ad* vel cum dativo commemoravimus. Latine item dicitur *litteras mittere ad aliquem, scribere ad aliquem.* Deinde vidimus libris, ut significetur esse dedicatos, persaepe litteras praefigi, atque iam supra eas re vera una cum libro missas esse putandas demonstravimus. Quodsi re vera liber donatus mittitur, i. e. si auctor et is, qui accipit opus, diversis habitant oppidis, facile totum opus litterarum formam accipere potuit. Fac e. g. amicum amico scriptori per litteras quaestiones quasdam ad litterarum studia spectantes proponere, atque supra exposuimus permultos libros eo consilio esse dedicatos petentibus, ut edoceantur aliqua de re: quid aliud facere potuit scriptor nisi respondere eadem via? Qua in re videlicet fieri potuit, ut litterae modum excedentes volumen implerent. Nihilominus litterae sunt. Procedente sane tempore litterae per speciem scribebantur fictae ad dedicationem significandam.

Quam similis sit liber dedicatus litteris praeclare illustratur opere Ciceronis, qui ad Marcum filium componens tres libros de officiis in compluribus omnium horum voluminum capitibus non semel eum alloquitur *(mi Cicero, Marce fili)*. Tertium librum simulque totam dissertationem concludit his verbis (III 121): *Habes a patre munus, Marce fili, vale igitur mi Cicero,* quasi litteris finem imponat.

Accidere igitur potest, ut singulis litteris totus libri

modus expleatur, quod si fit, sine dubio de dedicatione cogitandum est, sin autem complures epistulae leguntur in eodem libro collectae, accuratiore inquisitione opus est. Libri modum habent Dionysii Hal. ἐπιστολὴ πρὸς Ἀμμαῖον et ἐπιστολὴ πρὸς Πομπήϊον, Arriani ἐπιστολὴ πρὸς Τραϊανὸν Ἀδριανόν (in G. G. M. I_{370} expressa), Porphyrii πρὸς Μάρκελλαν epistula.

Scriptorum Romanorum huc pertinet Fronto, cuius epistulae habent inscriptionem *Antonino Augusto Fronto.* Quintilianus nos certiores facit de epistula Livii, rerum gestarum scriptoris, ad filium de erudiendo oratore scripta; cf. X 1_{39}: *apud Livium in epistula ad filium scripta.* Fronto (ed. Naber 126) commemorat *latas litteras Catuli* — Q. Lutatii Catuli —, quas H. Iordan (Hermes VI_{68}) easdem putat esse ac librum a Cicerone Brut. 53_{132} laudatum: *ex eo libro, quem de consulatu suo misit ad A. Furium poetam*, itaque appellat eas „*eine politische Broschüre in Briefform*". Quae coniectura num recta sit vix diiudicari potest, neque habeo quibus causis eam refutem neque quibus eam firmem. Neque tamen hanc rem silentio praeterire mihi licere opinor.

Hic quoque commemoranda est ars poetica Horatii, cum sit epistula oratione poetica ad Pisones scripta atque impleat librum (decimum).

Aliter autem iudicandum est, si complures epistulae coniunctae volumen explent. Commercium litterarum, ut invenitur apud Plinium in X libro et apud Frontonem, nullo modo pro dedicatione haberi posse apparet. Sin autem omnes unius libri epistulae missae sunt ad unum atque eundem sive omnes habent eandem inscriptionem, de dedicatione cogitare licet. Senecae e. g. viginti librorum epistularum moralium unoquoque complures epistulae continentur hunc in modum inscriptae: *Seneca Lucilio suo sal.* ita, ut singulae epistulae quasi sint capita libri.

Sin autem unius libri epistulae diversis hominibus sunt datae, in universum dici potest de dedicatione cogitari non posse. Plinii tamen Secundi novem libri epistularum, quamquam unusquisque constat epistulis modo brevioribus modo amplioribus diversos ad amicos missis, sunt dedicati Septitio

petenti, id quod discimus ex prima primi libri epistula: *frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo accuratius scripsissem, colligerem publicaremque;* collectio igitur epistularum, non singulae epistulae donatae sunt.

Praeter Plinium Lactantium et Varronem litteras edidisse vel litterarum formam adhibuisse cognovimus. Hic quaestiones tractat ad artem grammaticam et oratoriam vel ad antiquitates spectantes litterasque mittit ad Caesarem, Fabium, Fufium, Marcellum alios: apud Gellium legimus haec XIV $_{8}$: *Varro ait in litteris ad Oppianum, quae sunt in libro epistolicarum quaestionum quarto.* XIV $_{11}$: *in libro, quo supra dixi, M. Varro epistula ad Oppianum scripta exsecutus est.* Videntur igitur complures uno libro stetisse epistulae, num omnes eandem gesserint inscriptionem itemque num in numero dedicationum habendae sint diiudicare his certe locis non possumus.

Ne Lactantii quidem litterae ipsae conservatae sunt, quem hac forma usum esse imprimis ex Hieronymo discimus, cf. vir. ill. 80: *ad Probum epistularum libri IV, ad Severum epistularum libri II, ad Demetrianum auditorem suum epistularum libros II* et comm. in ep. ad Gal. *Lactantii nostri, quae in tertio ad Probum volumine* etc. Quas epistulas ad fidem Christianorum confirmandam scriptas dedicatasque existimo.

Gellius denique V 21 $_{9}$ de Sinnio Capitone haec narrat: *Sinni Capitonis doctissimi viri epistulae sunt uno in libro multae positae, prima epistula scripta est ad Pacuvium Labeonem . . . in ea rationes grammaticas exposuit.* Idem Gellius V 20 $_{3}$ eundem commemorat Sinnium his verbis: *S. C. in litteris, quas ad Clodium Tuscum dedit,* neque vero adicit hanc epistulam legi in alio libro, quam quem supra commemoravit, itaque in medio relinquit huius libri num omnes epistulae habeant unam atque eandem inscriptionem. Hanc quaestionem igitur in ancipiti relinquendam esse dolemus.

Certe denique in numero epistularum, quibus quaestiones ad litteras spectantes tractantur, habenda sunt iurisconsultorum scripta, quae non raro laudantur sub titulo *libri*

epistularum.[1]) Qui libri sine dubio, cum respondeant quaestionibus, constant veris epistulis. Conferas velim verba apud Proculum (apud Lenel, Palingen. II 159 sq.) obvia: compluriens legitur *Proculus respondit*, semel (frg. 20 p. 163) *Nepos Proculo suo sal.*, semel (frg. 25) *Proculus Nepoti suo sal.* Ut nescimus num Proculi omnes omnium librorum epistulae missae sint Nepoti, ita Ulpianus nos edocet Neratium unius libri epistulas diversis hominibus dedisse, cf. Ulp. 20 ad Iul. *Neratius libro IV epist.· Rufino respondit*, 43 *N. l. IV ep. Marcello fratri respondit*, denique in incerti libri epistula occurrit nomen Aristonis cuiusdam, ad quem Neratius scripsit, cf. Ulp. 32 ad ed.

Ut haec missa faciamus, parum nobis servatum est de horum scriptorum epistolographia, quam ut pro certo statuere possimus qui libri eorum inter dedicatos habendi sint.

Priusquam finem faciamus disserendi qua lege quibusque formulis liber dedicatus a ceteris distinctus sit, de alia re, quae huc pertinere mihi videtur, coniecturam proponere in animo est. Quaeritur, utrum Ciceronis commentatio, quae inscribitur Brutus, de claris oratoribus, titulum quasi tragoedia habeat an accipienda sit pro libro donato vel in honorem Bruti scripto. Hoc suspicari licet nobis legentibus locum Ciceronianum in praefatione paradoxorum Bruto dedicatorum obvium: *Brute, . . . accipies igitur hoc parvum opusculum, quoniam maiorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit.* Nonne haec verba intellegenda esse videntur, quasi Brutus — nam de hoc libro sine dubio sermo est — fuerit dedicatus amico, praesertim cum a Cicerone usurpatum sit verbum *munus*, quo scriptores amasse significare librum dedicatum supra demonstravimus? Pro certo nihil contendere possumus, refelli videatur sententia sive coniectura mea collato Platonis Theaeteto, Phaedro etc., quibus in dialogis titulus est nomen eius, quocum potissimum Socrates

[1]) cf. Lenel, Palingenesia iur. civ. Lips. 1889. Vol. I p. 1 Sex. Caecilius Africanus, p. 169 P. Iuventius Celsus, 285 sq. Iavolenus Priscus, 528 M. Antistius Labeo, 763 sq. L. Neratius Priscus. II 52 sq. Sex. Pomponius, 159 sq. Proculus.

verba facit; atque in Bruto quoque Ciceronis dialogo ipse Brutus unus est altercantium, neque umquam hanc coniecturam fecissem, nisi invenissem verba illa praefationis paradoxorum, praesertim cum Ovidius a partibus nostris stare videretur qui dicit de fastis (trist. II 549 sq):

Sex ego fastorum scripsi . . .
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
Et tibi sacratum . . . . opus,

ubi de opere, quod dedicatum esse constat et ipse poeta dicit *tibi sacratum*, eadem fere verba adhibentur ac de Ciceronis Bruto.

In tempore ad sententiam meam fulciendam accurrit auctor Graecus Lucianus. Cuius libello, qui inscribitur *Νιγρῖνος ἢ περὶ φιλοσόφου ἤθους*, anteit epistula ad Nigrinum scripta, qua dedicatio significetur. Idem igitur est nomen, quod exstat in titulo, atque eius, cui liber dono datur. Nisi quod illum quidem Nigrinum Platonicum non fingit loquentem in dialogo Lucianus, sed ipse cum amico colloquitur de eo. De dedicatione huius commentationis ambigi non potest.

Mera et simplex allocutio.

Iam ut rem absolvam, diiudicandum est, utrum mera et simplex allocutio pro dedicationis significatione habenda sit necne. Qua de re frustra ambigi posset, nisi argumentis ipsorum veterum scriptorum illustraretur. Nam cum plerumque opera donata litteris vel praefatione praemissis de dedicatione nos certiores faciant, quamvis nonnumquam tam breve sit prooemium, ut e. g. impleat primum libri enuntiatum, nonnulli scriptores cum prooemia tum etiam verba illa, quibus dedicatio significatur, aspernantes satis habent eum, qui accipit opus, alloqui mero vocativo. Dicimus eum, qui accipit, nam intellegere non possumus quid aliud haec allocutio sit nisi nota dedicationis, certe ego equidem alio modo hunc vocativum explicare non possum.

Quam ad quaestionem solvendam auxilium nobis ferunt,

quae veteres scriptores servarunt de libris ab aliis scriptoribus dedicatis.

In Nicandri e. g. Alexipharmacon v. 3 occurrit vocativus *Πρωταγόρη* nullo eorum verborum, quibus dedicatio elucet, addito. Sed prospere accidit, ut huius poematis servata sit, si ita dicere licet, *μετάφρασις* ab Eutecnio quodam perfecta, qui haec docet: *Νίκανδρος ἔγραψεν . . . ποιήματα δύο, ὧν . . . τὸ δεύτερον ἐπιγέγραπται Ἀλεξιφάρμακα, ὃ προσφωνεῖ Πρωταγόρᾳ.* Verbo *προσφωνεῖ* de dedicatione Eutecnium cogitasse mihi certum fit.

Athenaei Naucratitae operis, quod inscribitur *δειπνοσοφιστής*, liber primus non servatur nisi breviorem in formam redactus per epitomatorem, quae summi pretii est, cum explicet quo consilio scriptor in exordiis omnium librorum inde a tertio aliquotiens etiam in fine repetierit allocutionem *ὦ Τιμόκρατες, ἑταῖρε Τιμόκρατες, ἀνδρῶν ἄριστε Τιμ.* Epitomae verbis *ποιεῖται δὲ τὸν λόγον πρὸς Τιμοκράτην* libros esse dedicatos sine dubio efficitur.

Neque Romanorum hac in re ope destituimur. Cato et Caelius Aurelianus medicus temporum ordine hic scriptorum a nobis inspectorum fere ultimus, ille primus praesto sunt. Catonis verba, quibus librum de agricultura et librum de rhetorica coeperat, servata sunt: *Vir bonus, Marce fili; orator est, Marce fili.* Sed ex aliorum demum scriptorum commemorationibus de dedicatione cogitandum esse certo discimus, apud Nonium enim (143_7) haec opera laudata invenimus his verbis: *praecepta ad filium, ad filium de agricultura, ad filium vel de oratore;* cf. G. L. I, 362_{22}: *M. Cato ad filium vel de oratore.* Caelius Aurelianus denique in praefatione acutarum passionum, qui libri inscripti sunt Bellico, *interrogationum*, inquit, *ac responsorum libros . . . iamdudum ad Lucretium nostrum perscriptos destinavi.* Hinc quoque allocutio *meus Lucreti* operis a Caelio commemorati nobis servata apte illustratur.

Quae cum ita sint, in universum profiteri nobis licere puto etiam meram allocutionem initio librorum ita positam, ut de dedicatione nihil adiciatur, pro dedicationis nota esse

accipiendam. Itaque scripta Plutarchi, qui saepissime hac forma utitur, Galeni, nonnulla Luciani, Romanorum Apulei, Cornuti, Manilii astronomica alia inter libros dedicatos habenda sunt, atque iam recipiendum, quod in mss. Propertii traditur: *inc. monobiblos Propertii . . . ad tullum*, cum primum huius libri carmen (1 v. 9) nihil aliud praebeat nisi meram allocutionem *Tulle*.

Flavii Iosephi Antiquitates Iudaicas Epaphrodito donatas esse ignoraremus, nisi auctor ipse in commentario, quem de ipsius vita composuit, eidem Epaphrodito misso expressis verbis affirmaret (c. 76 fin.): *Σοὶ δὲ ἀποδεδωκὼς, κράτιστε ἀνδρῶν Ἐπαφρόδιτε, τὴν πᾶσαν τῆς ἀρχαιολογίας ἀναγραφήν.* Quod ex verbis prooemii archaeologiae concludere non poteramus, c. 1: *ἦσαν δέ τινες, οἳ πόθῳ τῆς ἱστορίας ἐπ' αὐτήν με προὔτρεπον καὶ μάλιστα δὴ πάντων Ἐπαφρόδιτος . . . τούτῳ δὴ πειθόμενος κτλ.* Nescio an litterae ad Epaphroditum una cum opere missae iniquitate temporum interierint.

Quomodo grammatici veteres commemorent dedicationes.

Iam ex iis, quae modo exposuimus, cognoscere licuit quanti aestimandae sint commemorationes veterum scriptorum de dedicatione librorum aliorum scriptorum factae. Operae pretium autem esse videtur accuratius inquirere qua ratione scriptores testimonium faciant de aliorum libris donatis. Qua in re imprimis gratia habenda est Photio, qui in enumerandis et enarrandis libris, quos legerat, numquam fere non, si liber dedicatus est, nonnulla verba hac de re addit, aliquotiens vero tam accurata diligentia utitur, ut e. g. codex 158 nihil aliud contineat nisi hanc expositionem.

Deinde magnum fructum praebent grammaticorum Latinorum scripta, qui ad exponendam doctrinam suam exempla repetunt ex scriptoribus diversissimis neque obliviscuntur librum, ex quo exemplum deprompserint, appellare ita, ut ne dedicatio quidem silentio praetereatur. Quod qui uno conspectu contueri vult, modo evolvat mihi indicem grammaticorum Latinorum, quos Keil collegit.

Summi pretii deinde sunt ea, quae de Ciceronis in libris

dedicandis consuetudine et usu comperimus ex epistulis ab ipso cum ad familiares tum praecipue ad Atticum datis.

Sed ad rem transeamus. Gravissimum est quod eadem verba, quae supra ex ipsis auctoribus collecta exscripsimus, hic quoque occurrunt; a Graecis imprimis usurpatur *προσφωνεῖν*, praeter quod apud Photium e. g. nullum aliud fere verbum legitur, cf. cod. 30. 36. 81. 131. 152. 154. 155. 167. 181 etc.

Quod supra non se obtulit *ἀναφωνεῖν*, praeter *ἐπι-* (cod. 158) et *προσφωνεῖν* semel apud Photium cod. 218 occurrit. Verba *συντάσσω* (Phot. c. 158), *κατατάσσω* (Berosus apud Tatian. Or. adv. Gr. c. 58) in ipsis auctorum scriptis non inveni. Ad verbum *προσφωνεῖν* nomen actionis pertinet *προσφώνησις*, cf. *τετιμημένος προσφωνήσεσι* (Plut. vit. Ti. Gracchi c. 8), *προσφώνησιν ποιεῖσθαι* (Phot. cod. 217). Cicero in epistulis hoc substantivo semel utitur (ad Att. XIII, 12_3) neque verbum aspernatur (ad Att. XIII, 20_4).

Verbum *ἀνατιθέναι*, quod etiam dicitur de rebus dis sacris, de librorum dedicatione usurpatum legitur e. g. apud Photium cod. 158: *γραφὴν ἀνατέθεικε*. Omnium autem verborum usitatissima sunt *ἀνέγραψε*, *ἔγραψε πρός*. *Ἅπαξ λεγόμενον*, ut ita dicam, est *ἀποτίνω*, quo verbo Iohannes Lydus de mag. II, 6 utitur de vitis Caesarum Suetonii Tranquilli Septicio Claro missis.

Qui scriptores his verbis uti nolebant, breviorem in modum dedicationem librorum significabant, cum titulo operis commemorati insererent nomen eius, ad quem dedicatio facta erat, in accusativo cum *πρός* coniunctum: *ἐν τοῖς πρὸς . . . ὑπομνήμασι*, *ἐν τῷ πρὸς . . . περὶ . . .*

Etiam apud scriptores Romanos saepissime leguntur ea verba, quae supra commemoravimus, inter quae usitatissima *mittere* et *scribere ad aliquem*. Memorabile imprimis verbum, quod accuratissime respondet Graeco *προσφωνεῖν*, a Cicerone semel adhibetur: *(liber), quo me hic adfatus* (Brut. 13). Disserentes quanti aestimati essent apud veteres libri dedicati verba *in honorem condo* vel *edo* Ausonii et Donati attulimus. Nomen actionis verbi *dicare* occurrit in epistula imperatoris

Constantini ad Porfyrium (ed. Mueller. p. 4 *dicationis munus*). Similis est vox a Plinio N. H. prf. § 8 adhibita *nuncupatio*.

Brevissima denique et usitatissima forma ut apud Graecos, ita apud Romanos tituli commemoratio est nomine eius, ad quem liber scriptus est, addito hunc in modum: *Asinius Pollio ad Caesarem I, Caesius Bassus ad Neronem de iambico, Cornutus ad Italicum de Vergilio,* (Apollodori) *ars edita ad Matium* etc.

Aliquotiens tanta diligentia veteres scriptores utuntur in enarrandis libris dedicatis, ut etiam, si prooemium praemissum erat, edoceamur. Photius e. g: cod. 158 dicens de Phrynicho: *Κομμόδῳ τὸ βιβλίον προσφωνῶν*, inquit, *κᾀκείνῳ προοιμιαζόμενος κτλ* Varronis deinde libros de origine linguae Latinae praefatione fuisse exornatos narrat Ioh. Lyd. de mag. I, 5: *Βάρρων . . . ἐν προοιμίοις τῶν πρὸς Πομπήϊον.*

Coelius Antipater de bello Punico librum componens ad L. Aelium prooemium scripsit, cf. Cic. orat. 69/229: *in prooemio belli Punici a L. Aelio, ad quem scripsit* eqs.

In Valgii Rufi praefatione quid dictum fuerit Plinius N. H. 25_4 exponit, cum commemoret *imperfectum volumen ad divum Augustum . . , incohata etiam praefatione, ut omnibus malis illius . . . principis semper mederetur maiestas.*

Eo, quod tam saepe tamque accurata diligentia veteres scriptores de libris dedicatis nos certiores faciunt, ea, quae supra exposuimus de aestimatione apud veteres, apte illustrantur. Libri dedicatio sat memorabilis esse visa est, ut posteris traderetur atque, quotienscumque libri donati mentio fieret, commemoraretur.

III. Quae ratio intercedat inter dedicationem et editionem.

Vidimus scriptorem librum dedicandi consilium capientem, vidimus eundem librum suum sive inceptum sive perfectum a ceteris certa ratione distinguentem. Donum igitur perfectum ei, ad quem destinatum est, mitti potest. Iam quaestio oritur, utrum ad dedicationem opus sit editione per bibliopolam perficienda, an librum ad amicum vel ad patronum mittere sat fuerit. Quam quaestionem iam probabiliter solvere possumus perpensa ipsa notione dedicationis. Supra statuimus dedicationem pro dono (*munus, δῶρον*) esse accipiendam. Liber igitur dedicatus, ut munus, eius potissimum proprius est, ad quem mittitur. Tum inter libros dedicatos per se spectavimus epistulas: ne epistula quidem statim publici iuris est, sed propria eius, ad quem data est. Dedicationem igitur si hoc modo spectamus, haud difficile concluditur sine editione plane constare posse, quam meam sententiam etiam testimoniis claris ipsorum veterum scriptorum fulcire possum.

Primus pro nobis testetur Quintilianus, cuius operi, quod inscribitur institutio oratoria, praescriptae sunt litterae ad Tryphonem bibliopolam: *efflagitasti, ut libros, quos ad Marcellum . . . scripseram, iam emittere incipiam.* Precibus scilicet lectorum, quorum in notitiam venerat Quintilianum illos libros composuisse, adductus Trypho Quintilianum ad editionem impellere voluit. Opus igitur perfectum iam in manibus erat Vitorii Marcelli, id quod in plusquamperfecto *miseram* mihi inesse videtur. Singulorum deinde librorum praefationibus edocemur libros illos inde a primo unius Marcelli in usum esse conscriptos, quibus duceretur filium

ipsius et Quintiliani arte oratoria instituens; cf. I. 6 *quod opus . . . tibi dicamus . . . erudiendo Getae tuo*; IV prf. *tui meique filii*. Quamquam non puto Quintilianum non habuisse consilium edendi, sed in erudiendo Geta et filio utilitatem experiri atque, si quae invenerit, vitia emendare voluisse; litteras autem ad Tryphonem una cum libris edidisse, ut, si quis se vituperaret, demonstraret se quasi invitum librum non plane perfectum edidisse.

Neque minus quam Quintilianus sententiam meam fulcit Firmicus Maternus (paganus), qui scripsit octo matheseos libros ad Mavortium Lollianum; in prf. VIII, 3 *accipe*, inquit, *itaque, Mavorti decus nostrum, septem hos libros . . . hos libros custodi, ne improbis et sacrilegis auribus scientia istius operis intimetur. Quapropter haec filiis tuis tantum trade . . . Horum autem librorum artificium nos tibi soli edidisse sufficiet, quos tibi mandamus*. Haud dissimilem in modum in praefatione septimi libri locutus erat. Libros igitur ad unum Lollianum scriptos nullo modo per bibliopolam emittere in animo habuit. De dedicatione tamen esse cogitandum demonstratur verbis ab auctore iterum ac saepius adhibitis *ad te scripsi, tibi dico, tibi edo*[1]) etc.

Item ante factam editionem exemplum libri missum esse ad eum, cui dedicatus est, dilucide cognoscimus apud Balbum, qui expositionem et rationem omnium formarum scripsit ad Celsum, cum eum expressis verbis, ut

---

[1]) Birtius (Buchw. p. 366 ann. 2) putat editos esse hos libros per bibliopolam, quem arbitratur esse Mavortium Lollianum ipsum. Ego equidem nullo modo mihi persuadere possum Firmicum hos libros edi voluisse, ut alii libri edi solebant. Scripsit in usum unius Mavortii, sed (VIII, 33) permittit, ut filiis amicisque exemplum suum tradat legendum sive describendum, cum eum hortetur, *ne auribus profanis vel imperitis* intimet *haec veneranda*. Si erat Mavortius bibliopola („*Verleger*"), libros continere non potuit, nam fieri non potest, ut mercator merces non vendat nisi hominibus, quorum mores perspexerit probaveritque, si modo pecuniam sibi comparare vult. Verba perorationis (VIII 33) *Romanis hominibus novi operis tradimus disciplinam* non obsistunt sententiae meae, nam homines Romani non quidem per editionem, at per ipsum Mavortium librorum cognitionem accipere potuerunt.

librum emendaret, peteret: *quo cultior in quorundam notitiam veniat, ad te primum liber iste festinet, apud te tirocinii rudimenta deponat, et si meretur sufferre universorum oculos, a te potissimum incipiat.* Hanc esse dedicationem mihi persuasum est.

Eodem fere modo praefatur Iustinus libro, qui inscribitur historiae Philippicae. Alloquitur hominem, cuius nomen non asservatur codicibus — utrum sit imperator Antoninus, cuius nomen a nonnullis editoribus textui q. v. insertum est, necne, hoc loco disseri non debet — his verbis: *quod ad te non cognoscendi magis quam emendandi causa transmisi. Sufficit enim mihi hoc tempore iudicium tuum, apud posteros, cum detrectationis invidia decesserit, industriae testimonium habituro.* De editione eum cogitasse efficitur verbis *apud posteros*, sed ante editionem ei sufficit *iudicium* amici.

Nescio an hoc loco tractandum sit Solini prooemium (collect. rer. memor.): *Solinus Advento sal . . . reputavi examen opusculi istius tibi potissimum dare, cuius vel industria promptius suffragium, vel benignitas veniam spondebat faciliorem.* Nonne existimare nobis licet scriptorem una cum exemplo libri donati Advento hanc epistulam misisse, cum statim in animo habuerit opus emittere in publicum? Quae duae res insunt in verbis *tibi potissimum.* Solinus enim sperat fore ut *suffragio* Adventi ante editionem per bibliopolam factam lectores adducantur, ut librum editum emant.

Similia petit Statius in Silvarum secundi libri praefatione ab Meliore Atedio: *Melior vir optime . . . haec qualiacumque si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant, sin minus, ad me revertantur*, ubi apparet editionem facere nolle auctorem, nisi probetur Atedio.

Idem fere apud Luxorium (Riese Anth. Lat. N. 287_{6} sq.) legimus, qui haec scribit ad Faustum:

. . . versus . . .
In parvum tibi conditos libellum
Transmisi memori tuo probandos
Primum pectore.

Fausto committitur vel totum opusculum edere, vel singula carmina per amicos distribuere.[1])

Summi hac in re pretii sunt Graecorum quoque nonnulla exempla. Galenus enim omnes fere libros composuit amicorum gratia, cum tamen expressis verbis diceret se non ad editionem opera componere; cf. de anatomic. administr. c. 1 ed. Kühn II p. 216_8 sq. τῷ Βοηθῷ (petenti) ἔδωκα ἐξιόντι, p. 217_{11} ἀποθανόντος δὲ κἀκείνου συνέβη τὰ ὑπομνήματα ἐκπεσεῖν ὡς κτήσασθαι πολλοὺς αὐτὰ καίτοι γ' οὐ πρὸς ἔκδοσιν ἦν γεγονότα. Alio loco (θεραπευτικῆς μεθόδου libri VII init. X p. 456) se umquam, ut gloriam sibi comparet, composuisse libros negat, sed ut amicos edoceat seque exerceat, quare se numquam nomen suum inscripsisse operibus. Denique περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων init. XIX p. 10_3 sq.: φίλοις, inquit, γὰρ ἢ μαθηταῖς ἐδίδοτο χωρὶς ἐπιγραφῆς, ὡς ἂν οὐδὲ πρὸς ἔκδοσιν ἀλλ' αὐτοῖς ἐκείνοις γεγονότα δεηθεῖσι — περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων XIX p. 51_1 haec legimus: οὐκ ὠρέχθην οὐδεπώποτε τῶν ἐμῶν ὑπομνημάτων οὐδὲν ἐν ἀνθρώποις εἶναι. Dilucidius quam verbis Galeni dici vix potest ad notionem dedicationis opus non fuisse editione.

Ut Galeno, ita Arriano invito libri ἐξέπεσον in publicum, qua de causa breviter dicatur de hoc, quamquam non proprie pertinet ad hoc caput. Ne is quidem librum, quem inscripsit Ἐπικτήτου διατριβαί, edere voluit, id quod cognoscimus ex epistula ad L. Gellium data, ubi dicit se invito in publicum prodiisse commentarium. Utrum a primo opus Gellio fuerit dedicatum, an editum demum ei missum sit diiudicare non possumus. Litterae utique ab Arriano edituro librum scriptae esse debent neque alio modo quam ut dedicationis nota intellegi possunt. Ceterum puto, ut apud Quintilianum, eas esse scriptas, ut auctor effugeret invidiam.

Denique Augustinum, ut revertamur, unde digressi sumus,

[1]) Birtius (p. 118) hunc Faustum vult esse bibliopolam (*Verleger*) neque habeo quibus causis eum refellam. Faustus videtur libellum probavisse et edidisse, litteras, quibus Luxorius iudicium ei permisit, libro praefixit, ut dedicatio significetur, nam de dedicatione cogitandum esse persuasum habeo; cf. verba *tibi conditos transmisi*.

dedicationem esse perfectam etiam sine editione credidisse mihi persuasum est, nam sic inter *scribere ad* et *edere* distinxit: *Varronis ad Caesarem pontificem scripta atque edita* (de civ. dei VII $_{35}$).

Utrum scriptor an bibliopola exemplum dedicati libri ad eum miserit, qui accepturus erat, quis librum describendum curaverit.

Ex litteris ad Atticum bibliopolam scimus Ciceronem exemplum libri dedicati per ipsius librarios descriptum (cf. Haennyi diss. p. 118) ipsum ad amicos misisse; cf. ad Att. XIII, 23 $_2$ *quos Bruto mittimus . . . in manibus habent librarii*, ad Att. XIII, 21 $_4$ *Varroni quidem quae scripsi te auctore, ita propero mittere, ut iam Romam miserim describenda . . . scripsi ad librarios, ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas . . . ea vero tu continebis.* Ciceronis igitur librarii Romae Academicorum descriptionem curare debent, Attici librariis facultatem dare describendi, si ille voluerit. Cicero tamen caute Atticum hortatur, ne edat opus *(ea vero tu continebis)*, neque id iniuria; acciderat enim, ut Atticus exemplum suum libri alicuius Ciceroniani Bruto dedicandi Balbo describendum antea committeret, quam liber in manibus Bruti erat, unde Ciceronis indignationem in se verterat (cf. ad Att. XIII 21 $_4$) [1]. Itaque etsi Cicero, cum deliberaret cui librum donaret, non semel libenter morem gerebat voluntati Attici, id quod elucet ex his locis: ad Att. XIII 14 $_2$ *consideres velim placeatne tibi ad Varronem quod scribimus*, XIII $_{18}$ *ego interea admonitu tuo perfeci . . . libros ad Varronem*, XIII, 21 $_4$ *Bruto, cui te auctore* προσφωνῶ aliis, tamen quo tempore per editionem opus in publicum emitteretur destinare sibi reservavit. Itaque cum id exemplum libri dedicati, quod mitteret ipse ad amicos, per suos ipsius librarios curaverit describendum, ad dedicationem perficiendam ope bibliopolae opus non esse denuo demonstrat.

Hunc non solum Ciceronis usum sed etiam ceterorum fuisse

---

[1]) Inspicias Birtii *„das antike Buchwesen"* p. 282 sqq.

credere nobis licet. Palladius certe ipse libros per ipsius librarium descriptos misisse videtur, ut concludi potest ex praefatione libri de insitione: *quod volumina haec . . . serius quam iusseras scripta sunt, librarii manus segnior fecit.*

Hoc profecto pro certo statuere licere mihi videtur: exemplum libri dedicati ab ipso auctore ad eum primum, cui donabatur, mittebatur, priusquam opus editione publici iuris fiebat, sive descriptio curabatur ab ipsius scriptoris servis sive ab aliis quibusdam.

A quo more Ciceronem semel decessisse, cum dedicaret Varroni Academica, commemorari debet. Ex epistulis ad Att. XIII. 12—44 quomodo facta sit haec dedicatio apparet. Probante Attico Cicero consilium capit ad Varronem mittendi Academica; videmus opus crescens, libris perfectis Cicero scribit 22_3: *Varroni, simul ac te videro, si tibi videbitur, mittam*; iam dubitatio in eo oritur; sequuntur verba *quid autem dubitarim, cum videro te, scies.* Tum Atticum certiorem fecisse videtur hac de re: iam volumina in manibus Attici sunt. Cicero enim veritus, ne libri minus probentur Varroni, periculum mittendi in se recipere non vult: potius Attici *periculo* (ad Att. XIII 25) mittentur. Atticus et ipse primo *perhorrescit*, tamen mandata Ciceronis exsequitur. Opus placet Varroni ita, ut quam celerrime Ciceronem remunerari studeat libris de lingua Latina. Cicero enim nihil omiserat, ut amicum quasi propitium sibi redderet, librum mitti iussit praeclare exornatum; cf. ad Att. XIII 25_3 *quoniam impensam fecimus in macrocolla.* Cuius rei aliud exemplum praebet Lygdamus poeta, cum Neaerae suae carminum volumen mittat magnificum in modum descriptum; cf. Tibull. III, 1_9 sqq. Neque me errare puto, si contendo eos scriptores, qui libros suos obtulerint imperatoribus et regibus, sumptibus non pepercisse in exornandis voluminibus.

Editione facta quomodo liber dedicatus distinctus sit ab aliis.

Iam opus dedicatum ea, quam diximus, ratione ac via in manus eius pervenit, cui destinatum erat, et hic potissimum id possidet. Atqui plerumque quae quaestiones a scripto-

ribus tractabantur in libris donatis, eae erant, de quibus edoceri omnium interesset, quo factum est, ut cogitarent hoc donum uni oblatum per editionem publici iuris facere. Iam supra demonstravimus (p. 17 sq.) nonnullos scriptores, qui a primo consilium haberent librum edendi, quasi per speciem ei inscripsisse dedicationem, ut plura exempla venirent. Scriptoris ipsius certe intererat libros donatos etiam in publicum emittere. In eius potestate igitur erat librum cuivis dedicatum edere, quamquam is quoque, qui accepit librum, permittere potuit amicis describendum. Sed verisimile est editionem per bibliopolam non factam esse nisi ex consensu auctoris et eius, cui dicatum est, id quod supra exposuimus apud Ciceronem. Qui postquam opus perfecit, brevi tempore intermisso exemplum misit ad Atticum sive librariis eius facultatem dedit Romae librum describendi, edi tamen noluit, priusquam ipse probasset.

Iam supra quanto in honore fuerit dedicatio librorum exposuimus. Itaque is, quem auctor quidam hoc munere dignatus erat, studuerit necesse est, ut, si liber edebatur, dedicationis nota omnibus exemplis imprimeretur, cui rei debemus tam accuratam librorum dedicationis notitiam.

Nonnumquam autem auctor edere opus nolebat, nisi iudicio eius, ad quem scripsit, probaretur; praefationes Luxorii et Statii, quibus hoc continetur, supra (p. 49) in conspectum vocavimus. Hic Ausonii *ludi septem sapientium* prooemium, quo item editio permittitur arbitrio eius, qui accipit, commemoretur, ed. Peiperi p. 169 sq.:

Ausonius cons. Drepanio proconsuli sal.
2. *Attento, Drepani, perlege iudicio.*
Aequanimus fiam te iudice sive legenda
Sive tegenda putes carmina, quae dedimus.
Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem.
17. *Interea arbitrii subiturus pondera tanti*
Optabo, ut placeam, si minus, ut lateam.

Tantum autem abest, ut Firmicus Maternus, qui supra non semel animum nostrum in se convertit, matheseos libros edi velit, ut Lolliano expressis verbis, ne cui legendum tradat

exemplum suum, interdicat. Nec Galeno volenti, id quod supra (p. 50) cognovimus, libri divulgabantur.

Varronis *Εἰσαγωγικός* ad Pompeium sine dubio unius Pompei in usum conscriptus neque umquam editus est, neque umquam scriptor id in animo habuit (cf. p. 12).

Scripta denique Christianorum, e. g. Tertulliani, primis certe temporibus, cum religio eorum nondum esset licita, ut ita dicam, ita ut alii libri solebant, i. e. per bibliopolam, edita esse mihi persuadere non possum. Is qui ab episcopo quodam instituebatur de fide, ut ceteros Christianos confirmaret edoceretque, doctrinam libro dedicato sibi impertitam communicare debuit cum civibus eandem fidem professis sive per colloquium id agens sive exemplum suum aliis describendum permittens (cf. verba Theodori Birt p. 109).

Dedicationis notam titulo libri iam fuisse insertam, ita ut nomen adderetur coniunctum cum praepositione *ad* vel *πρός*, optimis singulorum librorum codicibus demonstratur. Hunc in modum e. g. traduntur hi tituli Ciceronis: *Cato Maior de senectute ad T. Pomponium Atticum*, *Topica ad Trebatium*; *Quintiliani ad Vitorium Marcellum institutionis oratoriae libri XII* etc.

Iulii Pauli *sententiarum* libros V in filii usum esse scriptos nesciremus, nisi titulus servatus esset libris manuscriptis *Sententiarum ad filium libri.*[1]) Si qua alia nota dedicationis huic operi impressa fuit, culpa epitomatoris omissa est, nam nobis epitoma tantum servata est. Utique saepius quam codices testantur nomen eius, ad quem liber scriptus erat, titulo insertum fuisse mihi persuasum est. Alio modo ego equidem explicare non possum cur numquam fere scriptores, si commemorant librorum donatorum titulos, omittant dedicationis significationem. Quod si accipimus, facilius intellegimus cur crebro initio librorum nomen eius, cui dedicatus est, in vocativo legatur nullo verbo, quo dedicatio exprimatur, apposito.

---

[1]) cf. titulum monobibli Propertiani supra (p. 44) exscriptum.

IV. De iis, ad quos libri mitti solebant, additamenta.

Ut finem faciam disserendi, nonnulla verba addenda sunt de iis, ad quos libri mitti solebant. Atque primum quidem pauca dicenda sunt de more, quo vel opus, quod constat uno libro, vel operis, quod constat compluribus libris, singulos libros compluribus offerebant. Cuius rei exempla sunt Polyaeni *στρατηγήματα* (cf. prooem. I—VIII *ἱερώτατοι βασιλεῖς Ἀντωνῖνε καὶ Οὖηρε*) donata M. Aurelio et Vero, fratri adoptivo simulque imperii socio, Oppianus Halieutica (I, 1_{66}) mittens M. Aurelio filioque Commodo, Plutarchus offerens *γαμικὰ παραγγέλματα* Polliano cuidam eiusque uxori Euridicae; cf. Moral. ed. Dübner I p. 164 *κοινὸν ἀμφοτέροις πέμπω δῶρον*, librum *περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας* filiis Autobulo et Plutarcho; cf. Moral. ed. Dübner II p. 1238. Videmus igitur has dedicationes factas esse ad homines cognatione quadam vel affinitate coniunctos, quos eodem oppido habitasse, quo tempore librum acceperunt, veri dissimile non est.

Quonam cognationis vinculo coniuncti fuerint Eusebius et Florentius, quibus Aristides Quintilianus misit tres libros *περὶ μουσικῆς*, nescimus, coniunctos fuisse concludere licere nobis exemplis antecedentibus arbitror.

Neque apud Romanos aliter haec res se habet. Seneca et Asconius Pedianus complures simul filios alloquuntur, Terentianus de syllabis v. 283 dicit:

haec prius, Bassine fili, et tu gener, Novate mi.

Horatium artem poeticam, decimum scriptorum librum, mittit ad Pisones. Fratres „in Christo", ut nos dicere consuevimus, Timasium et Iacobum, Eutropium et Paulum Augustinus appellat in libris de natura et gratia atque

de perfectione iustitiae hominis. Quae ratio intercedat inter Maximum et Simplicium, quibus offert M. Plotius Sacerdos librum de metris, ignoramus. Agrippam contra non propinquum esse Maecenati constat, quibus Augustus inscripsit commentarios suos; cf. Plutarchi compar. Dem. et Cic. *ὡς αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐν τοῖς πρὸς Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν ὑπομνήμασιν εἴρηκεν.*

Videamus nunc quomodo factum sit, ut nonnullorum operum singuli libri hominibus diversis sint dedicati. Cuius rei exemplum notissimum sunt Varronis libri de lingua Latina, quorum I—V dedicati sunt Septimio cuidam, libri VI—XXV Ciceroni. Causa est, quod Varro Ciceroni προσφώνησιν promiserat, ut et ipse a Cicerone libro donaretur. Sed tam tarde scripsit, ut hic prius Academica perficeret eique dedicaret, quam in manibus tenuit dedicationem promissam. Quare Varro, ut quam celerrime Ciceronem remuneraretur, id opus, quod totum ad Septimium mittere in animo habuerat cuiusque iam libros I—V obtulerat, a sexto usque ad finem in Ciceronem transtulit.

Idem Varro tres libros rerum rusticarum in usum Fundaniae uxoris scribere voluit; cf. I, 4 *quo circa scribam tibi tres libros.* Re vera liber secundus Turranio Nigro, tertius Pinnio sunt inscripti. In conscribendis igitur singulis libris eum aliis officiis obstrictum primum consilium omne opus uxori dandi omisisse arbitror.

Ut ad Statii Silvarum et ad Martialis epigrammaton libros veniamus, quod diversi libri non eisdem hominibus sunt inscripti, mirum non videtur considerantibus quomodo sint orti: poetae enim, si tot carmina scripserant, quot opus erant ad modum unius libri implendum, ea colligere in unum volumen et amicis fautoribusve edere solebant.[1]) Aliquo deinde tempore singuli libri collecti quasi unius operis numeri ordine notabantur.

Romanorum auctorum, quos in conspectum vocavimus, fere ultimus ultimum hac in re locum obtineat, dico

---

[1]) cf. p. 2. ann.

Augustinum. Qui de anima eiusque origine unum librum scribit ad Renatum monachum quendam, alterum ad Petrum quendam presbyterum, tertium et quartum ad Vincentium Victorem. Veri dissimile mihi non videtur initio eum se quattuor volumina impleturum non cogitasse, sed iterum ac saepius ad eandem rem tractandam recurrisse, quod fortasse huic quaestioni nondum abunde satisfecisse sibi videbatur, vel quod adversarii exstiterant.

Quod ut suspicemur, Graeco exemplo adducimur Artemidori, qui librum IV ὀνειροκριτικῶν misit filio, cuius operis libri I—III appellant Cassium Maximum. Ipse dicit IV prf. ἐδόκουν ἀποχρώντως ἔχειν τὴν πραγματείαν δυσὶ περιωρισμένην βιβλίοις, sed tertius liber addendus erat, quem dedicavit Cassio Maximo. Aliud supplementum praebetur libris quarto et quinto filio donatis.

Photius denique accuratissime nos certiores facit de opere Phrynichi (σοφιστικὴ παρασκευή), quod iniquitate temporum interiit, constante XXXVII libris diversis hominibus donatis. Totum opus adfatur imperatorem Commodum; cf. cod. 158 λέγει λζ' αὐτῷ μέχρι τοῦ τότε καιροῦ συντετάχθαι λόγους, οὓς καὶ ἀναθέσθαι λέγει τῷ βασιλεῖ. Singulos autem libros ubi primum absolverat, eis, quibus aliquo modo se obstrictum putavit, in manus dedit, alium e. g. natalicii sub titulo offerens, alium emendandi curam impertiens amico etc., quas res supra suo loco protuli.[1]) Universi deinde libri collecti ad imperatorem festinaverunt propterea ni fallor, ut melius venirent.

Denique si addidero sat multos scriptores Graecos libros suos misisse Romanis, id quod non semel in dissertatione annotavi,[2]) cum contra nullum exemplum afferre possim libri a Romano Graeco dedicati, omnia commemorasse mihi videor, quae ex innummerabili fere numero exemplorum excuti possint.

[1]) cf. p. 6. 23.

[2]) cf. Apollod. Perg p. 46, Arrianum p. 39, Artemidorum p. 35. 57, Dion. Hal. p. 35. 39, Parthenium p. 24, Philostratum p. 33 etc.

Index

scriptorum veterum, quorum dedicationes in hoc opusculo commemorantur.